
[illegible]

Ecclesiast





GEORGII HESERI
è Societate IESV

DIOPTRA KEMPENSI

QVA

THOMAS A KEMPIS
Can. Reg. Ord. S Augustini,
Candidissimum Germaniæ sidus, demonstratur verus Auctor
Librorum IV. de Imitatione Christi.


·IHS·

Cum Facultate Superiorum.

INGOLSTADII
Ex Typographia Wilhelmi Ederi,
apud Ioannem Ostermayr.
M. DC. L.







ILLVSTRISSIMAE
AC POTENTISSIMÆ
VERITATI
QVÆ NVNQVAM
PRORSVS LATET,
OMNIA SEMPER
VINCIT:
QVÆ FALLI NEQVIT,
FALLERE NESCIT:
ASSENTATVR NVLLI,
NVLLVM DESPICIT.
CANDIDÆ, SINCERÆ, GERMANÆ,
Germanus Auctor consecrat
Hoc quidquid est libelli.




FA-

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

DIoptram Kempensem unà cum Summulâ, Constantini Caietani Abbatis Apparatui ad Gersenem oppositâ, à P. Georgio Heser Societatis nostræ Sacerdote conscriptam, atque à deputatis ex eadem Societate Censoribus lectam, probatámque, Ego CHRISTOPHORVS SCHORRER Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, datâ ad hoc potestate ab admodum Reverendo Patre Nostro Florentio de Montmorency dictæ Societatis Vicario Generali, in lucem dari permitto, atque concessionem hanc meâ manu, & officij sigillo confirmo. Monachij VI. Aprilis M.DC.L.

CHRISTOPHORVS SCHORRER.

Præ-



Præfatio ad beneuolum Lectorem.

ILle ab omnibus maximopere, ſatis à nemine laudatus; mole quidem non vegrandis, reipsâ tamen plurimorum inſtar voluminum, *De Christi Imitatione* libellus, ſicut vulgò nunc, tametſi contrà quàm à primordio ſolebat, indigitatur, hac ætate noſtrâ Auctori ab alijs alij magnâ contentione tribuitur. Olim Joannes Gerſonius illuſtre Galliæ ſidus, Pariſienſis Academiæ Cancellarius, vir à quo ſanè poſſis expectare partum huiuſce nobilitatis, audiebat pater: verùm adſcitus ille fuit, vel errore, qui tantis natalibus, quos equidem ſuſtinere potuerat, donauit aureo-

ltum libellum; vel conductus ambitione, quá pro humanæ gentis vitio, quod quis videt in medio positum auctoris non certi decus, illud sibi non erubescit arrogare; aut si splendorem infirmus oculus nequeat ferre, viribus id attribuat suæ prouinciæ, suæ gentis. Neque Gersonij, neque alterius Gallorũ iste partus est, adeo Germanus, ut, si nomen fidémque nostram retinemus, non possimus nos abdicare gentilis nostri tutelâ; qui linguam nostram exteri callent, non possint auctorem à nostra abjungere natione. Accedit, quæ contra Ioannem Gersonium facit plurimùm, duorum grauissimorum auctoritas testium, qui cùm ipsius operum indicem texuissent, huius libelli nusquam meminerunt. Horum alter Iacobus de Ciresio scribebat anno à partu VIRGINIS M. CCCC. XXIX. alter germa-

nus frater, eodémque nomine, Ioannes Gersonius, Cælestinorum Prior Lugduni, qui sexennio priùs, anno videlicet M.CD.XXIII. mense Maio hac de re epistolam exarauit, huius libelli in cæterorum utique fronte collocandi, si ipsius esset, prorsus ignaram. Quapropter litem pro Gersonio jam nemo contestatur, sed à Thoma de Kempis Canonico Regulari Ord. S. Augustini per duo steterunt sæcula, quotquot Gersonio obnunciarunt, donec anno M.DC.XVI. Constantinus Cajetanus, Siculus Syracusanus, Abbas Ord. S. Benedicti dicam scripsit Thomę Malleolo, Kempensi, Germano, agri Coloniensis municipi. Summa petitionis hæc est, nullo jure auctoris seu parentis eum vendicare sibi aureum illud ac diuinum opusculum de Imitatione Christi: descriptorem fuisse & æstimatorem

rem præstantissimi libelli. Proinde ex Aronensi sanè infido ac flagitioso codice hypobolimæum quendam intrusit *Ioannem Gessen*, vel *Gersen*, fretus non auctoritate modicâ virorum spectatissimorũ, Bernardini Rosignolij, Antonij Posseuini, Roberti Bellarmini: quos si retinere secum potuisset, magnum utique attulisset causæ nostræ præjudicium. Verùm egregius ille Vindex Heribertus Rosweydus è Soc. IESV, paratis ad id industriâ singulari *Vindicijs Kempensibus*, (id libro nomen est, quẽ Paulo V. Pont. Max. consecrauit) suppositititium Gessenem, de quo an, vbi locorum, quâ tempestate vixerit, nullâ veracium tabularĩ fide, nullo scriptorum veterum testimonio demonstrari potest, ita è judicio exturbauit, ut rationibus suis Eminentissimo Card. Bellarmino plenissimè satisfecerit, atq; ad

ad partes suas illum pertraxerit: ut Abrahamo Bzouio, qui Cæsarem Baronium in condendis Annalibus Ecclesiasticis est secutus, rem *inuincibilibus argumentis* a. confecisse videatur. Repræsentauit non longulo pòst Apologiam Caietanus; si tamen ipse, & non sub Achillis armis imbellis quidã Patroclus: verùm Apologiam tam elumbem, vt consistere in judicio graui; tam jeiunam, ut præter nauseatam cramben apponere nihil posset. Vidit Vindex Kempensis, auertit vultum, nihil respondit. Quid enim respiceret eum, qui faciem tegit, qui post siparium ludit? Sic Rosweydum vivum deinceps nemo lacessiuit: nunc leoni mortuo barbam vellicant, & per annos septem ac vicenos collatâ plures symbolâ in *Apparatum* haud

a. *Tom*. 18. *Annal. Eccles, ad ann*. 1471. *num*. 21.

haud ſanè diuitem aut magnificũ. non jam ad blæſum quendam Joannem *Geſſen*, aut *Geſen*, ſed ad erraticum *Gerſen* eâ ſe abſumpſerunt prodigalitate, ut *Apologia* vel altero tanto, vel ſeſquimaior, nihil quàm officinam rhetoris oleat inani garrulitate perſtrepentem. Quibus vtrùm Roſweydus reſponderet, vehementer addubito: nos ut ne Sigaliones ſimus, tales jurato ſilentio, tanquam in re teſtatiſſima, futuri, facit veritatis amor, & periculum, ne, ſi taceamus, nõnemo exiſtimet, nos quod reſpondeamus non habere. De intruſo *Gerſene* Conſtantinum Caietanum; de temeritate poſco te, Franciſce Valgraui, qui *Certiſſima Teſtimonia Roſvveydi*, quibus Thomas à Kempis auctor aſſeritur librorum *de Imitatione Chriſti*, non dubitaſti *Vaniſſima commenta* dicere. Parciùs iſta, vir bone: aut oſten-

oſtende ex omnibus commentum vel vnum. At non oſtendes, ſcio: maior fuit Roſweydi grauitas, quàm ut vanis oblectaretur crepundijs; maior fides, quàm vt commentis forum repleret. Pro Thoma Kempenſi auctore librorum de Chriſti Imitatione ſemper ſteti, tamdiu ſtabo, quàm aliquid noſtris certius allatum non fuerit. Pro Thoma & Roſweydo, quorum ille vim paſſus eſt in bonis, hic in fama, tantiſper laboro, atque Gerſenianas ſiue Codicum, ſiue Teſtiũ exiguas copias, primùm Codicum meorum catapultis repello, tum validiſſimâ Teſtium cohorte longiſſimè profligo.

Elenchus Codicum pro Thoma Kempensi productorum.

I. *Duo codices MSS. Monasterij S. A.C. Crucis, Augustæ Vindel.* - - 1440.

II. *Autographum Thomæ à Kempis, Antuerpiæ in domo S. I. Professæ.* 1441.

III. *Autographum alterum Thomæ à Kempis, Louanij ad S. Martinum.* - -

IV. *Codices MSS. superstite Thomâ à Kempis, qui nomen ipsius ut Auctoris præferunt.* - - - - - -

V. *Codices MSS. complures peruetusti in Germania, sub nomine Th. Kemp.*

VI. *Catalogus MS. Bibliothecæ in Domo B. M. V. prope Endouiam.* - 1472.

VII. *Codex Reip. Augustanæ, impressus à Ginthero Zainer minimū ann.* 1475.

VIII. *Codex MS. eiusdem Reip. Augustanæ, ex quo libri de Imitatione Christi nuper sunt exsecti, & malâ fraude interuersi.* - - - 1475.

IX. *Codex MS. Maseykensis. Cann. Reg.*

XIX. *Codex MS. Rinsperga Geldrorũ, in monasterio Cann. Regg.um* - - -

XX. *Codex MS. Augustanus, monasterij S. Crucis.* - - - - -

XXI. *Codex MS. Augustanus monasterij S. Georgij, fronte mutilatus.* - -

XXII. *Codex impressus Coloniæ, anno.* 1507.

XXIII. *Opera omnia Thomæ à Kempis, impressa Parisijs, anno.* 1520. 1521. 1523.

XXIV. *Codex MS. Louaniensis, ad S. Martinum.* - - - 1524.

XXV. *Editio Veneta, formis Stephani Sabiensis.* - - - - 1535.

XXVI. *Editio Parisiensis, Achille Statio Lusitano curante.* - - 1541.

XXVII. *Interpretatio Hispanica Ludouici Granatensis.* - - 1542.

XXVIII. *Catalanica P. Petri Ægidij, Soc. Iesu.* - - - - -

XXIX. *Hispanica alia P. Nicolai Arnayæ Soc. Iesu.* - - - - -

XXX. *Alia P. Francisci Smidt S. I.* - -

XXXI. *Versio Flandrica Nicolai de VVinghe Can. Reg.* - - 1548.

LXXII.

Certissima Testimonia,

QVIBVS THOMAS à Kempis auctor asseritur librorum de Imitatione Christi.

PARS PRIMA.

Auctoritate librorum MSS. & typis expressorum.

TESTIMONIVM I.

Duo Codices MSS. S. Crucis Augustæ.

AVgustæ Vindelicorum in monasterio S. Crucis, Canonicorum Regulariũ Ordinis S. Augustini, asseruantur duo peruetusti codices MSS. unus in folio, qui exhibet integrè libros quatuor *De Imitatione Christi,* & in fine attri- A.D. 1440.

tribuuntur THOMÆ à Kempis, hisce verbis: *Compilator huius Opusculi fuit quidam Fr. Thomas nomine, de conuentu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, montis S. Agnetis Traiectensis.* Alter codex in 4. cuius primus Tractatus, *De quæstionibus faciendis in confessione*, descriptus est ab Ewaldo de Hasfurt, & absolutus feriâ 4. post festum D. Georgij, A. D. 1446. Tractatus reliqui omnes scripti sunt à Magno Lapsatore, & primus quidem ab illo absolutus est Anno 1440. Dominicâ *Iudica*: postremus verò anno eodem, die 16. Decembris. Inter hos habetur quoque liber primus *De Imitatione Christi*, absque tamen nomine auctoris. Hic ipse *Magnus Lapsator*, qui præter unum tractatum, quem dixi, *De quæstionibus in confessione faciendis*, totum in 4. codicem manu exarauit, descripsit etiam

illos

illos libros quatuor *De Imitatione Christi*, quos habet codex alter in folio, ut periti attestantur antiquarij, & idem character, idémq; abbreuiandi modus planè conuincit. Quoniam igitur codex ille in 4. absolutus est Anno 1440. die 16. Decembris, vti videre est in fine; & ab eodem amanuensi siue ante, siue post annum Christi quadragesimum libri quatuor de imitatione Christi descripti, & auctori Thomæ de Kempis attributi fuerunt, non abs re Bollandus, ex schedis demortui Rosweydi, hoc testimonium nouæ editioni Antuerpianæ Anni 1630. adjecit *a*. nam Rosweydus ex primo Codice in folio, quem Augustâ submissum penes se Antuerpiæ habuit, fideliter verba exscripsit, quæ Thomam profitentur esse auctorem librorum

a Ex litteris ipsius ad me Antuerpiâ datis 9. Nouemb. 1647.

rum *de Imitatione Christi*: & ex altero codice, quoniam eâdem manu, quâ prior, scriptus esse nunciabatur, annum & diem scriptionis apposuit, non propterea quòd certò constaret, eodem anno utrumque codicem fuisse scriptum, cùm fortassis achronus ille codex ante Annum quadragesimum fuerit scriptus, sed quòd eiusdem hominis, eâdem de re, censeatur unum esse testimonium, licèt non simul omnia, quæ cũ re coniuncta sunt, recenseantur: tum vt certò constaret, quo tempore vixerit is, qui vtrumque codicem calamo exarauit, prodiditque in altero codice magno auctorem, à quo libri quatuor de Imitatione Christi compositi sunt; in altero minore annum, quo liber primus à se descriptus sit: in quo codice quartæ formæ nec illud silentio prætereundum est, videri officio suo defuisse

fuisse miniarium, qui rubricâ spatium vtique Auctoris nomini scribendo relictum non exornauit. Deinde vt non demonstretur, eodem vtrumque anno scriptũ fuisse codicem, certè non nimis longo alter alterum præcessit intervallo, cùm ab eodem librario scripti sint. Quod idem euincitur, tametsi à duobus scripti forent: nam characteris par vetustas probat, circa eadem tempora scriptos fuisse; & alterum prodere auctorem librorum; alterum, quo tempore libri jam passim fuerint cogniti, ac descripti. Quam ob rem cùm ex vtroque codice Testimonium fuerit desumptum, non est arguendus de figmento Bollandus a. ab ijs, qui neutrum, vel alterutrum duntaxat codicem inspexerunt.

a *quod facit Constantinus Caietanus Abbas in Responsione Apologetica pro Gersene, folio 220. editionis Romanæ A. 1644.*

runt. Videndi ſunt ambo eàdem manu exarati, & alter in 4. docebit annum ſcriptionis, alter nomē auctoris, qui eſt Thomas à Kempis.

Qui paragraphi primi teſtimonium nonum, quod appoſuit R. P. Joannes Bollandus perlegit, facilè ſibi perſuadet, omnia ex uno codice in 4. deſumpta fuiſſe; verùm, uti me P. Wolfgāgus Schenslederus condocefecit, *a*. pars prior Teſtimonij ex eo codice deſumpta, ad annum librarij pertinet; poſterior ex codice in fol. decerpta, ad librorum auctorem, qui tunc in antiquis codicibus quærebatur. Cæterùm nodo, quem vel in ſcirpo quæras, iſte cuneus erit, ſi teſtimonium illud ita recudi placuerit. *Auguſtæ Vindeli-*

corum

a litteris Monachio 19. Febr. A. 1648. qui addit, Bollandū ex Roſvveydi ſchediaſmatis, Roſvveydum ex ſuis litteris, ſe accepiſſe ex his duobus libris S. Crucis.

corum in monasterio S. Crucis, Canonicorum Regularium S. Augustini asseruantur duo Codices MSS. unus in 4. absolutus, ut in fine additur; anno M.CCCC.XL. 16. Decemb. qui exhibet librum primum de Imitatione Christi, sine Auctoris nomine: alter in folio, complexus quatuor libros de Imitatione Christi, ab eodem, quo codex quartæ formæ, librario descriptos. Ad calcem istorum eâdem manu additur: Compilator huius Opusculi fuit quidam Fr. Thomas nomine, de Conuentu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Montis S. Agnetis Trajectensis.

Dices fortassis; Cur dicitur *Compilator*, non *Auctor?* Quia liber iste est quasi florilegium ex scripturis diuinis, sanctisque Patribus. Vnde Editio Antuerpiensis, Anno M.D.L. Joannis Steelsij non malè hanc epigraphen præfert: *Libellus verè aureus de Christo imitando, ex fontibus*

bus

bus sacræ potißimùm scripturæ excerptus, Authore D. Thomâ de Kempis. Rectè igitur Thomas opusculi ex diuinis scripturis collecti *compilator*, simúlque libri dicitur *Auctor*; cùm omnis compilator sit eiusdē quoque libri auctor, non vicissim alicuius libri auctor mox sit illius compilator. Quamquam possis etiam compilatorē vocare quemcunque, qui siue ex suomet ingenio, siue aliorum scriptis plura in unum librum coaceruauit. Deinde, Cur *de Conuentu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, Montis S. Agnetis?* Illa duo verba, *De Conuentu* referas ad locū *Montis S. Agnetis.* Et quin illam duorum casuum (de *Ordine*, atque *Ordinis*) condonemus tautologiā Christi potiùs, quàm Prisciani discipulo? Quamquam, si argutari in apicibus lubet, doctè hic philosophatus est, dum distinguit Canoni-

nonicos Regulares Ordinis S. Augustini à Canonicis Regularibus V. G. Ordinis Præmonstratensis. Vnde scribit, Thomam fuisse de Conventu Montis S. Agnetis, & de Ordine Canonicorum Regularium illorum, qui sunt Ordinis S. Augustini, non illorum, qui sunt Ordinis Præmonstratensium, aut alterius. Denique, Quid sibi vult illud *Traiectensis?* Eà quidem tempestate fuisse illius Diœceseos montem S. Agnetis.

Reuerendissimus Dominus, Dominus Gaspar Episcopus Adramytenus, Episcopatûs Augustani in Spiritualibus, & Pontificalibus Vicarius Generalis hosce duos Tomos vidit: eiusdémque prorsus librarij manu scriptos fuisse, etiã illi videtur, & publico Instrumento attestatur Augustæ Vindelic. die 4. mensis Aprilis, 1648. Vide *Rosvveydum rediuiuum* in fine.

Au-

II.

Autographum Thomæ Antuerpiæ.

A. D. 1441. ANtuerpiæ celeberrimo Belgarum emporio, in domo Professa Societatis IESV, meritò thesauri & reliquiarum instar, asseruatur codex, qui fuit quondam Canonicorum Regularium Montis S. Agnetis, vbi Thomas vixit, scripsit, & supremum clausit diem; manu ipsius auctoris scriptus in 16. Continet libros quatuor *De Imitatione Christi*, alijs eiusdem Thomæ opusculis initio præfixos: in quorum omnium fine subscripsit; *Finitus & completus anno Domini M. CCCC. XLI. per manus Thomæ Kempis in monte S. Agnetis prope Svvollis.*

Dominos quondam huius pretiosi Codicis prodit hęc inscriptio: *Liber monasterij Canonicorum Regularium*

larium in Monte S. Agnetis Virginis ac Martyris prope Svvollis. Vbi Joannes Bellerus Typographus Antuerpiensis hæc subiunxit: *quem Fr. Ioannes Latomus Professus Ord. Regularium in Throno B. Mariæ prope Herentals, eiusdem Ordinis Generalis Minister, factâ Visitatione monasterij B. Agnetis prope Svvollam, eiusdem monasterij ruinis ereptum, ne penitus interiret, Antuerpiam allatum Ioanni Bellero amico veteri & fideli DD. anno Salutis 1577. Porrò Ioannes Bellerus PP. Societatis Iesu in gratiam suorum filiorum, quos eadem Societas religiosos fouet, lubens donauit Kalendis Iunij, 1590.*

Eludere conantur, qui sunt Gersenianarum partium, istud testimonium, atque dicunt, Thomam Scripsisse, hoc est, descripsisse calamo tantùm, vt multa alia; non autem fecisse, aut com-

posuisse libros quatuor *de Imitatione Christi.* Autographum illud tum quod Antuerpiæ, tum quod Louanij asseruatur, non esse protographum, seu archetypon Thomæ vt auctoris, sed ectypon vt librarij. Et Rosweydum isthoc testimonio semetipsum contrucidare, quòd confiteatur Thomam nulli suorum opusculorũ nomen suum præfixisse, id est, *apposuisse*, vt grammaticatur Caietanus in Apparatu ad Gersenem pag. 14: In hoc autem autographo Thomam nomen suum præfixisse, hoc est, *apposuisse*, non igitur esse Thomæ vt auctoris, à cuius ingenio; sed vt amanuensis, è cuius calamo profluxerit tantùm. Pondus addere argumento Biblia quatuor in Tomos tributa, quæ asseruantur Coloniæ Agrippinæ à Canonicis Regularibus monasterij SS. Corporis Christi, vbi in fine primi volumi-

luminis hæc ipsa verba habentur: *Finitus & completus Anno Domini M. CCCC. XXXIX. in vigilia S. Iacobi, per manus Fratris Thomæ Kempis, ad laudem Dei, in monte S. Agnetis.* Sicut igitur Thomas hac vsus phrasi, asseri non potest Scriptor Canonicus, atque auctor Bibliorum, sed descriptor; ita neque ex eodem prorsus loquendi modo conuincitur esse auctor librorum de *Imitatione Christi*, sed exscriptor tantùm.

Video mihi rem esse cum Grammaticis, qui sententiolas vibrant à Prisciano in jus vocandas. Tametsi ex ijs, qui libros dicuntur scribere, alij componant, alij compositos transcribant, & vtrique vocentur Scriptores nomine communi; Illi tamen propriè dicuntur librorum auctores, Isti librarij, descriptores, amanuenses. Thomas religiosæ modestiæ jura-

tus aſſecla, Operis neque huius, neque vllius alterius ſuorum, au-ctorem ſe vnquam appellauit, qui non à quo, ſed quid dicatur, at-tendendum eſſe, & verbo docuit, & reapſe: ergóne continuò eſt li-brarius tantùm? Scimus verba illa, *Finitus & completus, &c.* iſtud non euincere, Thomam compoſuiſſe librum *de Imitatione*, cùm potuerit illum tantùm, quemadmodum Biblia deſcripſiſſe; verùm cùm conſtet, opuſcula reliqua, quibus libri *de Imitatione Christi* vel inter-ſeruntur, vel præfiguntur, à Tho-ma ſine vllo dubio eſſe compoſita, cur de ſolis libris de Imitando Chriſto dubitabimus? Et vt ſint ſubobſcura illa animi demiſſi ver-ba, lucem accipiunt à coæuo, vi-cino, & perfamiliari homine Io-anne Buſchio, qui lib. 2. Chronici Windeshemenſis, cap. 21. litem grammaticam dirimit verbo non

æqui-

æquiuoco, ſed indubitabili, & vniꝰ tantùm ſignificationis, dum narrat, Thomam de Kempis non ſcripſiſſe, id eſt, exaraſſe calamo duntaxat, ſed *compoſuiſſe plures deuotos libros, videlicet, Qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti.* Ecce plures *compoſuit* devotos libros, quos inter vnum, quia præ omnibus eminebat, ſibi cum honore nominandũ duxit librum, cuius initium, *Qui ſequitur me*: vulgaris Titulus, *De Imitatione Chriſti.* Auctor igitur Thomas eſt, non librarius ſolùm diuini libelli.

Rosweydum quoque haud ſanè maior, quàm grammaticus inuolvit turbo. Si *Præfigere* & *Affigere*, *Præponere* & *Apponere* ſint Synonyma, causâ Heribertus profectò cecidit. At qui nomen ſuum libro præfigit & præponit, is vtique etiam nomen ſuum affigit & apponit: num tamen omnes, qui

nomē ſuum apponunt & affigunt, continuò præfixerūt,& præpoſuerunt? Pone nomen tuum in vmbilico, pone in calce libri, an non appoſuiſti nomen tuum? etiámne præfixiſti, & præpoſuiſti in fronte libri? Iſtud inficiatum iuit Rosweydus de modeſtiſſimo religioſiſſimóq; Thoma Kempenſi, *præfixiſſe* & *præpoſuiſſe* nomen ſuum alicui ſuorum opuſculorum: non illud alterum, *affixiſſe*, aut appoſuiſſe ad calcem libri. Præfixum Auctoris nomen fronti libellorum nunquam legit; ſubjunctum, atque adeo affixum atque appoſitum ſaltem hoc in codice legit, & ego ipſe in autographo Antuerpiano vidi. Vidi, inquam, non ad metam librorum *de Imitatione Chriſti*, ſed in totius codicis fine adſcriptum miniatâ litterâ, *Finitus & completus, &c.* & ſi libelli cæteri Thomæ ſunt,

cur primus ac præcipuus non sit eiusdem Thomæ? Quis vnum aliquem è SS. Biblijs librum vidit cæteris ipsius Opusculis conjunctum? Et sit etiam vnus altérque coniunctus, illorum auctorem nemo dixit Thomam: descriptor igitur tantùm est. At librorum quatuor de *Christi Imitatione* auctorem quàm plurimi gravissimique dixere testes: Alia igitur ratio Bibliorum est calamo exaratorū, alia librorum *de Imitatione Christi*, & calamo & ingenio elaboratorū.

Iam aliam de autographo litem intendunt, non posse proferri antiquius, quàm quod manu scriptum sit Anno 1441. Pro se stare codices annosissimos, qui nimium quantum Thomæos calamos retro submoueant. Ætatem autographi alios, ipsius alios librarij prævertisse cunas. Extare hos, qui sint antiquiores Thomâ, per me-

licet credant, at non persuadebunt priùs, quàm eos Germanâ fide repræsentent. Illos, qui autographũ Thomæ in judicio pressuri præsumuntur, exhibent: & Melicenses primò librum è *Sacro Specu* protrahunt, allatum ex Italia in Austriam à PP. Benedictinis Reformatoribus Anno 1418. Protrahunt, sed non discernunt inter tres & viginti codices, quis sit Italus aduentitius. Neque dubitare, cùm tot habeantur in vno monasterio, ex Italia translatos fuisse, inanis est suspectio: nam vel vnus, vel aliquot, vel omnes allati sunt? Si vnus? vadimonium præstet. Si aliquot? testentur se esse traduces. Si omnes? conclament coram sacro profanóque tribunali, se conscriptos esse ab Italica manu, librario Italo, tegi situ tybo Italico: ostendant vmbilicos, bullas, & quidquid ornamenti

menti Italia tunc in voluminibus suis adamauit. Vnde Ioannis Cellensis exclamatio; *a. Quis sana mente negabit, hunc Tractatum de Reformatione hominis (Qui sequitur me) venisse ad monasterium Mellicense ex sacro specu, cum Patribus Reformatoribus Ord. S. Benedicti, quæ contigit anno 1418.* brutum fulmen est, à quo nemo terretur. Explicant deinde Vinearum ascetæ in Sueuia codices duos; alterum Anno 1434 alterum vno antè, 1433. scriptum: alium Wiblingenses Anno 1430. alium Ochsenhusani Anno 1427. à librario exaratum. Quam ob rem Thomas cum autographo suo *Cedat, & istorum vestigia pronus adoret.* Si ipsius apographum ante annum 1441. natum non est, quomodo illorũ codicũ parens est Thomas?

 Liber,

a. apud Caiet. Respons. Apolog. pro Gersene fol. 221. edit. Rom. 1644.

Liber, qui adſcriptum habeat annum, quo Thomæ auctoris ingenio, eiuſdémque ſimul calligraphi dexterâ perfectus omnium primò ſit, huc vſque viſus non eſt antiquior; nullum tamen idcirco priùs ſcripſit? ille propterea non compoſuit? Imus inficias. Vbi eſt autographum Gerſenis? vbi archetypon? num illud, quo vſi ſunt Doctores Angelicus & Seraphicus? Ille tranſcribendo ex libro *de Imitatione*, qui necdum natus fuit ætate ipſius: Iſte in libro, immo libello Collationum octo ad FF. Toloſanos, qui ex ipſo non eſt natus. An autographum codex ille Aronenſis, qui eſt Domûs Probationis Societatis Ieſu, monaſterij Benedictinorum nunquam fuit? a. Forſan autographum Louanienſe multò eſt antiquius Antuerpienſi:

a. lege teſtimonium P. Andreæ Maioli S. I. apud Roſvveyd. Vindic. cap. 14.

piensi; istud tamen illi præfertur in iudicio, quia annum habet scriptionis à manu, & nomen scriptoris ab ingenio: quo vtroque adminiculo destituitur Louaniense, cui proximum assignabimus in dicendo testimonio locum. Tu macte animi dic, Quot nobiles Bibliothecæ fuerunt expilatæ, direptæ, exustæ? in his plura fortassis & antiquiora fuerunt exemplaria, insignita scriptionis anno, auctoris nomine, quæ jam vel à flammis, vel ab iniquis manibus perierunt. Quódque modò non compareant, Antuerpiensis autographi natales certi, vt nimis posteriores, contemnendi non sunt. Et profectò aut vos ego laborantes ignoratione vocis Græcanicæ video, aut quasi nos laboraremus, imperitiæ nostræ insultantes: autographa dicuntur, quæ quis ipse scripsit, siue à se, siue ab alio composita;

posita; siue primò, siue iterum, ac tertiò, sæpiúsque descripta. Ex autographis alia sunt archetypa, exemplaria primò scripta; alia ectypa, exemplaria à primis transcripta: archetypa fiunt à librorum Auctoribus; ectypa tum à librarijs, tum ab ipsismet etiam auctoribus: quàm multi enim sua, & non semel tantùm describunt? hîc vnum est archetypon, quod primò lucem aspexit; cætera sunt ectypa. Autographum Thomæ, quo Antuerpia gloriatur, non est archetypon, & fortassis nec Louaniense: quod tamen nobis Adversarij subdolè impingunt, sed aliud, quod iam nescimus, vel non extat ampliùs, fuit archetypon, quod ætate codices omnes ab Aduersarijs productos antecedebat. Est itaque Antuerpiense autographũ ectypon tantùm, denuo descriptum à Thoma Kempensi, & comple-

pletum Anno 1441. à quo multis annis antè fuit compoſitum. Quo id certo anno, & ingenio & manu perfecerit; item ſimul datis, an ſparſis ſubinde libellis, dicere non habeo: ſed hiſtoriæ luce deſtitutus, viam mihi ratione aperio. Illi annoſi, quos jactatis, codices Melicenſes, Vinearum, Wiblingenſis, Ochſenhuſanus præſcriptum, aut affixum nomen auctoris habent, an non? Si habent? Gerſonis, Gerſenis, aut Thomæ Kempenſis? Si Thomæ; ſubticetis. Si Gerſonis: abrogatis. Si Gerſenis adſcriptum nomen foret, iam dudum iubilus jubilorum perſonuiſſet, cauſſáque noſtra iaceret deploratiſſima. Nunc cùm Gerſenis non ſit adjunctum nomen, ſed annus duntaxat ſcriptionis, auctor is in poſſeſſione relinquendus eſt, qui componere libros illos per ætatem potuit, & à quo compoſitos fuiſſe

fuiſſe, tot alij vetuſti & ſinceri codices, tot inſignes teſtantur Viri, quos in vnum cogere, noſter hic labor eſt. Potuit verò Thomas de Kempis, etiam vt auctor, ſcribere, qui ſub adultum annum 1379. in lucem editus eſt: Qui Anno 1427. quo codex Ochſenhuſanus à librario abſolut⁹ eſt, annũ ipſe agebat quadrageſimum octauum; qui, cùm Wiblingenſis finiretur, iam maior fuit quinquagenario: qui, cùm Vinearum codices matureſcerent, años quinque ſupra quinquageſimum natus fuit. Potuit, inquam, auctor eſſe Thomas, & auctorem fuiſſe aſſerunt noſtri teſtatæ fidei codices, aſſerunt tot egregij viri, coæui, vicini, familiares, ſuppares, minores, ad noſtram vſque ætatem. Quam ob rem Thomas dimouendus ac depellendus loco non eſt, neque poſſeſſione deturbandus antea, quàm verè ac mani-

manifestè sit conuictus hypobolimæus. Quod à vobis, vt fiat, petimus; nunquam conficiendum speramus.

III.

Autographum Thomæ, Louanij.

PRoximum ei locum assignaturos diximus; jure, si codex ille minor est natu, quàm Antuerpiensis: haud iniuriâ, si ætate maior est, id. enim acceptũ referat modestiæ sui Auctoris, Scriptoris: qui nomen suum suppressit, & annum exacti laboris, quóve Consule liber exierit, in fastos non retulit. Cæterùm Joannes Vlimmerius Canonicorum Regularium ad D. Martini Prior, de Augustino suo, *a.* de Fulgentio, Paschasio, & alijs antiquis aucto-

a. Valerius Andreas in Bibliotheca Be[...]

auctoribus, quos à mendis repurgauit, haud malè meritus testatur, se ante multos annos accepisse codicem illum à Canon. Regularibus Montis S. Agnetis, affirmantibus eum manu ipsius auctoris Thomæ à Kempis scriptum fuisse, vti per traditionem continuam à maioribus suis eiusdem monasterij Fratribus acceperunt. Porrò libri tres *de Imitatione Christi*, quarto omisso, alijs eius opusculis in medio sunt inserti. *a.* Non dubitas, quin cætera sint genuina Thomæ pignora: cur dubitas de istis?

IV.

Codices MSS. Superstite Thomâ.

R. P. Joannes Hasius, multis in Societate Iesu perfun-

a. RosVVeyd. in Testimonijs §. 2. num. 2.

functus muneribus, bis Embricæ Cliuorum Rector, subinde Prouinciæ Rhenanæ præfectus, litteris suis testatur, passim codices MSS. librorum *de Imitatione Christi*, præsertim in Regularium Canonicorum monasterijs reperiri, etiam ipsius Thomæ ætate exaratos, qui nomen ipsius, tanquam Auctoris, præferant; *Cuiusmodi*, inquit, *ante aliquot annos reperi Confluentiæ in Collegio nostro, cui obuenerant plerique codices è desolato Regularium monasterio.* Vide Rosweydum Testim. §. 1. num. 8.

V.

Codices MSS. Complures.

ADmodum R.D. Albertus Luyckenius, cùm Prior esset Canonicorum Regularium Coloniæ ad Corpus Christi, & eiusdem Ordinis sub Capi-

tulo

tulo Windeshemensi Generalis, testatus est, se in varijs Germaniæ Bibliothecis, librum *de Imitatione Christi*, Thomæ à Kempis nomine præfixo, vidisse, tum in varijs indicibus, tum in libris ipsis, ita perscribens: *Vidi ego indices Bibliothecarum quarundam domorum Ordinis nostri antiquos, & antiquâ fide scriptos, qui exemplaria MSS. Imitationis Christi Thomæ adscribebant. Vidi ego eundem per partes in antiqua membrana & charta scriptum, interdum nullo ordine capitum, vel librorum seruato, interdum cum Auctoris nomine, interdum sine illo, aut hac adscriptione; Pij alicuius Fratris.* Hactenus ex Rosweydi testimonijs. §. 1. num. 7.

In eundem & Patriæ & ætatis censũ rediguntur codices omnes Melicenses, Weingartenses, Wiblingensis, Ochsenhusanus, & illë

ille nuper Teutonicus, *a.* qui Latio donatus, primùm Bifcianus, nunc Leo-Allatianus audit. Nam Gerfenis nomen iam inde ab ortu fuo non præferre, certò liquet: Gerfonis oblitteratur: Thomæ Kempenfis in infulam deportatur etiam cum ipfis libris, vt videre eft in duobus codicibus exfectis Reip. Auguftanæ, de quibus erit infrà dicendi locus. Anonymi ergo nobis tantifper funto: & qui confule funt notati, feu anno ad metam deducti calami, omnes iam maturâ Thomæ Kempenfis ætate exarati funt.

VI.

Catalogus MS. Bibliothecæ Endovienfis.

CAnonici Regulares Lovanienfes ad D. Martini oftenA.D. 1472.

a. P. Iacobus à Quaille S. I. litteris Romà datis Anno 1642. die 3. Maij, qui 3. Iunij poft diem obijt.

stendunt duos Catalogos MSS. simul iunctos duorum monasteriorum titulo Canonicorum Regularium, videlicet Registrum Librariæ *in Dumo B. Mariæ Virginis* prope Endouiam, formâ octauâ: itémque Registrum Librariæ monasterij *Fontis B. Mariæ* prope Arnhem, scriptum A. D. 1472. Registrum Endouiense nonnulla Thomæ à Kempis nomine Opuscula repræsentat, intérque ea etiã libros *de Imitatione Christi.* Rosweydus in Testim. §. 1. num. 2.

VII.

Codex impressus Reip. Augustanæ.

A. D. 1475. IN illustri Bibliotheca amplissimæ Reip. Augustanæ, in Pluteo octauo librorũ Theologicorum, Codice 32. in fol. habentur libri quatuor *de Imitatione Christi,*

Christi, & in calce illorum isthæc verba: *Viri egregij Thomæ, montis S. Agnetis in Traiecto Regularis Canonici, libri de Christi imitatione numero quatuor finiunt feliciter, per Gintherum Zainer ex Reutlingen progenitum litteris impressi ahenis.*

Quo anno reparatæ salutis, Gintherus formis ac prælo suo Thomam Kempensem, germanũ auctorem librorum *de Imitatione Christi*, subiecerit, annotare pro more, aut pro incuria illius sæculi neglexit: præfert tamen in fronte codex luculentum senij sui testimonium isthoc: *Iste liber emptus est à Conuentu Augustensi Ordinis Fratrum Carmelitarum. Anno.1486.* Immo ex antiquissimo Mortilogio MS. in membrana, Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum (quo in templo parentari Gintherus sibi voluit anniuer-

uersario sacro) constat, diem suũ obijsse 14. Aprilis, Anno 1475. Quòd si Gintherus librum hunc impressit vltimo vitæ suæ anno, impressus est anno post mortem Thomæ de Kempis quarto. Obijt enim illo Anno 1471. 25. Iulij, teste Iodoco Badio: & Rosweydo in vita, ex Chronico Bethleë-mitico.

Quæ ex hoc impresso codice relata sunt, item de Typographi obitu, Reuerendissimus Dominus, Dominus *Gaspar* Episcopus Adramytenus, Episcopatûs Augustani in Spiritualibus & Pontificalibus Vicarius Generalis inspexit, legit, & rei veritatem publico authenticóque confirmauit Instrumento, quod tum ipsius, tum Notarij publici manu subscriptum, & Officij Sigillo munitum est Augustæ Vindelic. die 7. mensis Ianuarij, Anno 1648. Istas vide-

videre est publicæ fidei tabulas in *Ros vveydo rediuiuo* Reuerendissimi D. Simonis Præpositi Die ssensis

Iam scripseram hæc, cùm incido in Roderici Episcopi Zamorensis *Speculum vitæ humanæ* ab eodem Ginthero Zainer impressum, cuius verba exscribo: *Finit liber dictus Speculum vitæ humana, &c. à Ginthero Zainer ex Reutlingen ciui progenito, vrbe autem commanenti Augustensi, arte impressoriâ in mediũ feliciter deditus: Anno à partu Virginis salutifero Millesimo Quadringentesimo septuagesimo primo, Idus verò Ianuarias tertio.* Est autem idem prorsus typus, quo impressi sunt libri illi quatuor *de Imitatione Christi.* Vnde non absque verisimilitudine iudico, Opus *de Imitatione Christi* impressum esse ante *Speculum vitæ humanæ*, quia videntur lectores desiderasse, Vbi, & Quãdo liber aliquis sit impressus,

aut

aut ipsimet notasse Typographi, apponendum esse annum editionis absolutæ. Quòd si hæc coniectura placeat, habemus codicem, adhuc viuente Thomâ de Kempis, excusum typis.

I nunc, Francisce Valgraui, & cum tuo Codice Ianuensi triumpha, qui impressus est Venetijs año 1501. & Gersoni Cancellario tributus, cui sarcinator quidam sciolus Gersenem curioso calamo supposuit a. Quamquam redi in iudiciũ, vir bone; non possum enim hoc dissimulare: Et ain' hunc codicem esse impressum? Aio. At Caietanus dicit esse manuscriptũ. Lege verba ex Apparatu ad Gersenem, ipso mox in vestibulo, fol. 3. versu 14 & 15. *Codd. Mantuanus, & Genuensis MSS. in nostra Bibliotheca Aniciana.*

Co-

a *in Præmonit. ad Lectorem de libello Imitationis Christi.* §. 1.

Codex impressus, idémque manu scriptus, est codex impressus, & non impressus: manu scriptus, & non manu scriptus. Quæ contradictoriæ propositiones simul esse veræ non possunt: & sicut illarum altera alteram euertit, ita hic codex tuus euertit, discerpitque semetipsum.

VIII.

Codex MS. Reip. Augustana.

IN eiusdem Reip. Bibliotheca, subsellio nono librorum Theologicorum, Codice tertio MS. in forma 4. extabat non admodum pridem *D. Thomæ Montis S. Agnetis Tractatus de Imitatione Christi, in duas partes diuisus:* Recito verba Catalogi impressi Augustæ, Anno 1633. typis Ioãnis Prætorij, confecti ab Elia Ehin- A. D. 1475.

gero Bibliothecario, pag. 121. Index (eâdem, quâ totus Codex, ſcriptus manu) librorum in eo contentorum ita loquitur. *Prima pars Tractatûs de Imitatione Christi, Domini Thomæ montis S. Agnetis Canonici Regularis. fol. 25. Secunda pars eiuſdem tractatûs. fol. 36.* Jam à folio 25. vſque ad 48. omnia ſunt exciſa, vt adeo annus, quo Tractatus ille bipertitò exaratus ſit à librario, R. P. Matthia Farinatore Ordinis Carmelitarum, SS. Theologiæ lectore, iam ſciri nequeat. Cæterùm in eodem codice *Philobiblon, id eſt, liber de amore librorum, Dom. Richardi de Burgundia* a. *Episcopi Dimelinenſis.* b. *Liber S. Ioannis Chryſoſtomi, de Reparatione lapſi. Tractatus de Antiquitate quatuor Ordinum Mendican-*

a. b. *pro*, de Bury Epiſcopi Dunelmenſis, *vt habet Poſſev. in Appar. & videtur Farinator primò bene ſcripſiſſe, tum ab alio malè caſtigatus.*

cantium. Tractatus *de processu judicij spiritualis*, scripti sunt Matthiæ manu post Christum natum 1472. *Soliloquium Hugonis de discretione & anima*, Anno 1475.

Quando scriptus ergo est Tractatus Thomæ à Kempis *De Imitatione Christi*, qui ordine secundus erat in illo codice tam miseris accepto modis? Tu scies, qui exsecuisti. Ego credo, scriptum non fuisse post annum Christi 1475.

Quæ ex hoc, & de hoc codice retulimus, vidit Reuerendissimus Dominus, Dom. *Gaspar* Proëpiscopus Augustanus: vidit, inquam, verba Catalogi impressi Bibliothecæ: vidit verba Indicis eâdem Matthiæ, quâ totus ab eo codex, manu scripti: vidit pudendam sectaram: vidit annos Tractatuum absolutorum, atque ita se omnia habere, publicis tabulis attestatus est die 7, Ianuarij, Anno 1648. quas

Rosvveydus redinivus Simonis Diefsensis ob oculos tibi ponit.

IX.

Codex MS. Maseykensis.

A. D 1477. ADmodum R. D. Paulus Schooff Prior Rubeę Vallis, & Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Windeshemensis, penes se habuit ex monasterio maiore Maseykensi Canonicorum Regulariũ, librum *De Imitatione Christi* scriptum. Anno 1477. manu Domini Cornelij Offermans, Rectoris quondam Conuentûs Maseykensis, qui compositum esse refert à F. Thoma de Kempis. *Rosvveydus in Testimon.* §. 1. *num.* 6.

X. Co-

X.

Codex MS. Louaniensis ad S. Martinum.

IN Martiniensium Bibliotheca Louanij seruatur nomine Thomæ â Kempis liber, qui continet *Hortulum Rosarum*, deinde librum 1. tum 4. ac denique 3. *De Imitatione Christi.* Ad cuius finem adscriptum est eâdem manu: *Expliciunt Tractatus quatuor Thomæ de Kempis deuoti & interni: scripti, illuminati, & ligati per manus Fr. Simonis Iacobi de Leydis, Professi in Leydendorp, pro tunc Socij Rectoris huius monastery Sanctimonialium antiquarum in Amstelrodam, Anno Domini* 1482. Herib. Rosweydus Testim. §. 1. num. 3. A. D. 1482.

XI.

Catalogus MS. quinque Bibliothecarum.

A. D. 1487. LOuanij in monasterio Canonicorum Regularium Vallis S. Martini seruatur Catalogus MS. variarum Bibliothecarum Belgij, circa añum 1487. conscriptus, formâ oblongâ, qui continet varios libros MSS. diuersorum Auctorum. Inter alia Opera Thomæ à Kempis, quæ in varijs monasterijs MSS. esse designat, exhibet etiam libros *De Imitatione Christi*. quæ MSS. eius nomine extare in hisce monasterijs affirmat; in *Campo Cistertiensium* prope Bercham: *in Gaesdonck Regularium* prope Goch: apud *Martinienses* Louanij: *apud S. Catharina Regulares* prope Nouiomagum: apud *Regulares* prope Endouiam.

Ha-

Hactenus Rosweydus Testim. §. 1, num. 1.

XII.

Codex Pragensis impressus.

IN Cæsarea Regiáque Bibliotheca Pragensi Augustissimi Imperatoris nostri Ferdinandi III. asseruatur codex in 4. preciosè vestitus, cuius principium ita habet: *Incipit liber primus Fratris Thomæ de Kempis Canonici Regularis Ordinis S. Augustini, de Imitatione Christi, & de contemptu omnium vanitatum mundi. Capitulum I. Qui sequitur me.* In fine habetur: *Fratris Thomæ de Kempis de Imitatione Christi, & de contemptu mundi deuotum & vtile opusculum finit feliciter. Argentinæ impressum per Martinum Flach, Anno Domini millesimo, quadringentesimo octogesimo septimo.* Ex litteris ad me Pra- A. D. 1487.

gâ datis 29. *Aprilis*, 1648. Quem ipsum librum postea reperi Augustæ in Bibliotheca Canonicorum Regularium ad S. Georgium, & omnia sic se habere comperi.

XIII.

Editiones Operum Omnium Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis.

A. D. 1488. 1489. OPera Ioannis Gersonis Cancellarij chartis impressa sunt Coloniæ año 1483. apud Ioannem Koelhoeff de Lubeck: Argentinæ Año 1488. apud Petrum Schottum: Basileæ Anno 1489. Argentinæ A. 1494. 1502. & 1514. Basileæ Anno 1518. Parisijs Anno 1521. & 1606. In harum editionum nulla reperiuntur libri *de Imitatione Christi*: & tametsi nonnullæ seorsim Editiones Ioanni Gersoni Cancellario Parisien-

fiensi eos attribuerunt, tamen in omnibus ferè vbicunque euulgatis exemplaribus seu in fronte pręfigitur, seu ad calcem adiungitur, non esse Gersonis, sed Thomæ à Kempis, his vel similibus verbis: *Quamuis iste libellus dicatur Ioannis Gersonis, autor tamen ipsius fuit Thomas de Kempis, Canonicus Regularis.* Editionibus añi 1488. 1489. 1494. 1514. & 1606. præmittitur *Compendiosa laus Ioannis de Gerson Cancellarij Parisiensis*, in cuius fine ista lego. *Inter hæc autem Opera licet nonnulla sint, quæ Ioannis de Gerson non esse verisimilius sit, vt est Tractatus contra Proprietarios S. Augustini, Compendium Theologiæ, sermo de Conceptione, & si qui plures reperiantur, tamen quia auctor alius non patebat, ideo loco suo perstiterunt. Alij autem Tractatus, qui sibi nonnunquam tribuuntur, sed tamen auctorem certum habent, vt est libellus de Contem-*

gâ datis 29. *Aprilis*, 1648. Quem ipsum librum postea reperi Augustæ in Bibliotheca Canonicorum Regularium ad S. Georgium, & omnia sic se habere comperi.

XIII.

Editiones Operum Omnium Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis.

A. D. 1488. 1489. Opera Ioannis Gersonis Cancellarij chartis impressa sunt Coloniæ año 1483. apud Ioannem Koelhoeff de Lubeck: Argentinæ Año 1488. apud Petrum Schottum: Basileæ Anno 1489. Argentinæ A. 1494. 1502. & 1514. Basileæ Anno 1518. Parisijs Anno 1521. & 1606. In harum editionum nulla reperiuntur libri *de Imitatione Christi*: & tametsi nonnullæ seorsim Editiones Ioanni Gersoni Cancellario Parisien-

fiensi eos attribuerunt, tamen in omnibus ferè vbicunque euulgatis exemplaribus seu in fronte præfigitur, seu ad calcem adiungitur, non esse Gersonis, sed Thomæ à Kempis, his vel similibus verbis: *Quamuis iste libellus dicatur Ioannis Gersonis, autor tamen ipsius fuit Thomas de Kempis, Canonicus Regularis.* Editionibus añi 1488. 1489. 1494. 1514. & 1606. præmittitur *Compendiosa laus Ioannis de Gerson Cancellarij Parisiensis*, in cuius fine ista lego. *Inter hæc autem Opera licet nonnulla sint, quæ Ioannis de Gerson non esse verisimilius sit, vt est Tractatus contra Proprietarios S. Augustini, Compendium Theologiæ, sermo de Conceptione, & si qui plures reperiantur, tamen quia auctor alius non patebat, ideo loco suo perstiterunt. Alij autem Tractatus, qui sibi nonnunquam tribuuntur, sed tamen auctorem certum habent, vt est libellus de Contem-*

ptu mundi, a. *quem constat esse, à quodam Thoma Canonico Regulari editum, & plures alij, non sunt Operibus suis inserti.* Si constabat (*constabat*, inquam) non videbatur tantùm ei, qui coæuus fuit Thomæ à Kempis, quid litē mouent ij, qui integro sesquiseculo posteriores sunt?

XIV.

Codex Academiæ Ingolstad. impressus.

A. D. 1489. ANno à partu Virginis 1489. Argentorati impressi sunt libri quatuor *de Imitatione Christi*, præfixo & subiuncto Thomæ Kempensis nomine, hunc in modum. Libri frons auctorem, & singulorum librorum capitis primi inscriptionem præ se fert; vt *Thomas de Kempis De Imitatione Christi, & de contemptu omnium vani-*

a. haud sanè alius, quā cuius I. cap. sic inscribit.

vanitatum mundi. De interna conuersatione. De interna locutione Christi ad animam fidelem. Cum quanta reuerentia Christus sit suscipiendus. Item Ioannes Gerson de meditatione cordis. Post indicem capitum singulorum. *Incipit liber primus Fr. Thomæ de Kempis, Canonici Regularis Ordinis S. Augustini, de Imitatione Christi, & de contemptu omnium vanitatum mundi.* Infine: *Fratris Thomæ de Kempis de Imitatione Christi, & de contemptu mundi, deuotum & vtile opusculũ finit feliciter.* Subditur brevis novem pagellarum tractatus Ioannis Gersonis de Meditatione cordis.

Monstraui hunc, & Zaineri codicem impressum, de quo suprà, multis, qui quovis pignore contendebant, non extare vetustiorẽ editionem typographicam, quàm Norimbergensẽ, cùm Zaineriana minimùm viginti maior sit annis.

XV. Co-

XV.

Codex impressus Memmingæ.

1489. MEmminga vrbs est Imperij libera. Id loci, A. 1489. Tractatus *De elevatione mentis in Deum* typis excusus est ab Alberto Kunne de Duderstat. Ipso in limine libelli quisquis paucula fuit præfatus; *Autor*, inquit, *Tractatûs divinissimi De Imitatione Christi vocatur Dn. THOMAS, præpositus & prælatus Canonicorum Regularium.* Nempe bis monasterij sui Suppriorem egit.

XVI.

Codex MS. Reip. Augustanæ.

A. D. 1490. ANnum huic Codici assigno 1490. non quòd antiquior nō sit, sed quòd plus evinci jam nequeat, propter illiberale nes-

nescio cuius factum. Nam in celeberrima Reip. Augustanæ Bibliotheca, subsellio nono librorum Theologicorum, Codice 14. MS. in forma 4. non ita pridem adhuc extabant libri quatuor *de Imitatione Christi*, Thomæ à Kempis nomine, vt videre est in Catalogo impresso Anni 1633. fol. 125. cuius verba exscribo: *M. Thomæ de Monte S. Agnetis, & Canonici Regularis in Trajecto, de Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi.*

Excîdit furtiua manus libros tres, reliquit librum quartum, credo, ne codex hiatu nimio scelus proderet. Stat tamen adhuc pro antiquitate sua iste codex, cuius in limine si hæc inscripta verba legisses, etiam, nullus dubito, euulsisses. *Iste liber est pro vsu Fr Ioannis Fortis, S. Theologiæ Lectoris, donatus eidem per R. P. Ioannem Carpentarij, quondam Prouincialem*

cialem Ordinis Fratrum Carmelitarum, Anno 1490. *in octaua S. Martini.* Hoc anno, quem nominaui, (quia non nisi certissima proferre mihi animus est) donatus fuit, scriptus fortassis ante triginta, vel quadraginta annos: nam *Alphabetarium diuini amoris* in eodem codice exaratum est Anno 1454. Eodem anno scriptus est *Tractatus de arte Moriendi.* Alius annus non signatur. Inspexit hanc quoque luculentam plagam. R.mus Dñs Dn *Gaspar* Episcopus Adramytenus, Proëpiscopus ac Vicarius Generalis Augustanus, & ne fraudi nobis sit, publicis cauit tabulis, quas tum suo, tum jurati Notarij chirographo in acta retulit, & Officij signo obsignandas curauit die 7. Ianuarij Anno 1648.

XVII. Edi-

XVII.

Editio Norimbergensis.

OPera omnia Thomæ à Kempis vno volumine excuſa ſunt Norimbergæ Anno 1494. per Caſparum Hochfeder. Primum locum obtinent libri quatuor *de Imitatione Chriſti*, quibus hæc præfiguntur verba: *Dulciſsimi ac diui Thomæ de Kempis, Viri piiſsimi, Religioſiſsimique de Imitatione Chriſti Opus: quod falsò apud vulgares Gerſoni Pariſienſi Cancellario impingitur.* A. D. 1494.

Hanc editionem Venerabilis Pater Georgius Pirckamerus, Prior Carthuſiæ Norimbergenſis epiſtolâ ſingulari, quæ toti præfigitur Operi, perſuaſit M. Petro Danhauſero. De vtroque plus alterâ parte dicemus.

XVIII.

Codex MS. S. Catharinæ Augustanus.

AVgustæ in monasterio S. Catharinæ, Virginum DEO dicatarum Ord. S. Dominici, habetur codex Germanicus MS. valdè antiquus in 4: qui exhibet vitas Gerardi Magni, Florentij, & cæterorum Latinè conscriptas à Thoma Kempensi, quarum Interpretis, vbi præfatur, verba sic è sermone tralata Germanico leguntor. *Incipiunt Vitæ beatorum Religiosorum, Fratrum ac Patrum ex Ordine S. Augustini Canonicorum Regularium, qui nostris temporibus in Belgio vixerunt, in diœcesi Traiectensi: inter quos etiam fuit deuotus & beatus Pater Thomas de Kempis, qui hunc libellum, atque alios complures nobiles Tractatus composuit.*

Ille

Ille etiam est, qui composuit deuotum libellum de Imitatione Christi, cuius frequenter facta est mentio, quia liber est cuilibet vtilis & valde consolatorius. Hactenus interpres, qui, vt ratio aliqua iniri possit, quando scripserit, iuuat adnotare, quo anno diem suum quisque obierit. Moritur itaque

Gerardus Magnus	A.D. 1384.	die 20.	Aug.
Ioannes Gronde	1392.	6.	Maij.
Ioannes Cacabus	1398.	31.	Maij.
Lubertus Bernerus	1398.	25.	Iulij.
Gerardus Zutphaniensis	1398.	4.	Dec.
Iacobus Vianensis	1400.	12.	Mart.
Florentius	1400.	24.	Mart.
Amilius Burensis	1404.	10.	Iunij.
Ioannes Brinckerinck	1419.	26.	Mart.
Arnoldus Schoenhoviensis	1430.	9.	Maij.
Henricus Brune	1439.	25.	Aug.

Nunc qui *suis temporibus* dicit eos vixisse, vel suâ dicit ætate ac memoriâ, vel certè eo, quo ipse natus est, sæculo vixisse. Vtrum dixeris, euicimus, vltimā manum inter-

interpretamento impositam ante annum M.D. vt, si coætaneus fuit, vel cum postremis viueret: vt, si eodem sæculo, infra annum 1500. non descendat, quo anno, imo sexagesimo antè, nemo illorum superstes fuit.

Codices achroni, non anonymi.

AD finem huius Sæculi collocabim⁹ eos Codices, qui nomen Thomæ à Kempis præ se ferunt, annum autem scripturæ non à librarijs acceperunt. Nos bifronti Iano id committimus, vt alterutrius æui suã quemque seriem edoceat.

XIX.

Codex MS. Rinsbergæ Geldrorum.

RInsbergæ Geldriæ, in monasterio Canonicorũ Regu-

Regularium S. Augustini, membranaceus codex perantiquus visitur, qui, nomine Thomæ à Kempis præfixo, libros *de Imitatione Christi* continet. *Ros vveydus Testim.* §. 1. *num.* 5.

XX.

Codex MS. Augustanus S. Crucis.

DE hoc meminimus in principio, vbi duos eâdem manu conscriptos junximus, quorum iste Thomā à Kempis, genuinum auctorem; alter annum Librarij 1440 suppeditavit. Iam contra pervicacem, ac manibus pedibúsque obluctantē, non esse eandem manum, huius testimonium separatim profero, vt perantiqui, & partium Thomæ gnaviter studiosi, hunc in modū:

Com-

Compilator huius Opuſculi fuit quidam Fr. Thomas nomine, de Conuentu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, Montis S. Agnetis Trajectenſis.

XXI.

Codex MS. Monaſterij S. Georgij Auguſtæ Vindelicorum, fronte mutilatus,

Ecce iterum Diſſector, & eſt mihi ſæpe vocandus
Ad partes Effrons, nec inemptis fraudibus actor.
Arma, quibus pugnat, Forfex, cultellus, & vnguis.

MVltis diebus, & multorũ ſociorum manibus hunc perquiſitum Codicem, ex abſtruſiſſimo denique Bibliothecæ angulo, in quem datâ operâ, & truculento ſuffocãtis niſu dex-

teræ (quod rugæ & vulnera loquuntur) intra pluteos & parietẽ compressus est, protraximus. Est liber formæ octavæ; membranâ tegitur flavescente, tergum præduro corio, contrà ac nostri modò ferunt libri, armatur.

Antiquissimo charactere, maximáque industriâ scriptus est, vix vt emendatiorem inter vetustos viderim. Repræsentat librum 1. 2. 3. *de Imitatione Christi*, cum suis unumquemque indicibus capitum. Integra omnia, nisi quòd frons duobus lata digitis, ita præsecta sit, vt seu exerrantis forficis diuerticula, seu curiosæ manûs videre sit mæandros, quibus cavit; ne vllius litteræ cauda suppressi nominis indicium faciat. Annum climactericum Pythagoræ, aut nomen fabulatoris Phrygij notatum ibi fuisse, nemo sibi persuadebit.

XXII. Ce-

XXII.

Codex impressus Coloniæ.

A. D. LIber *de Imitatione Christi*, cũ Tractatu *de cordis meditatione* prodijt Coloniæ Agrip-
1507. pinæ anno 1507. Ecce tibi, quæ pro Thoma nostro faciunt. *Incipit liber primus egregij Viri Thomæ de Kempis, de Imitatione Christi, & de contemptu omnium vanitatũ mundi. Explicit liber quartus & vltimus libri huius de Imitatione Christi, ab egregio viro Thoma de Kempis editi. Finitur iste libell⁹ impressus Coloniæ per Martinum de VVerdena, prope domum consulatus, in vico Burgensi (vel, die Burgerstraes) commorantem, Anno Domini Millesimo Quingentesimo septimo, feriâ secundâ post Agathæ.* Reperi hunc Codicem in Bibliotheca Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, ad S. Georgium Augustæ.

XXIII. Edi-

XXIII.

Editiones Parisienses Badij

LVtetiæ Parisiorum Anno A. D.
1520. Iodoc⁹ Badius Ascen- 1520.
sius ex Officina sua typo- 1521.
graphica in lucem dedit omnia 1523.
Opera Thomæ Kempensis in folio *a*. Primas habet Opus *de Imitatione Christi*. Recudit anno mox insequente 1521. in 8. vbi in tomulo tertio Enchiridij piarum mentium dicitur, quòd libri hi perperam M. Ioanni Gersoni adscribi soleãt; Stylus enim totus Teutonicam redolet phrasin *b*. Et sic prorsus est, vt admirari satis nequeam, Caietano tot idiotismos linguæ Italicæ subolere. Lege Rosweydum cap. 8. & 15. Vindiciarum: Simonem Werlinum in Vindicijs novis

a. Rosvveyd. Vindic. cap. 9. b. idem Vindic. cap. 8. & testim. §. 4. num. 1.

novis §. 2. & in novissimis Vindicijs Vindiciarum part. 1. §. 2. vbi fusissimè, & ad oculum (sanū) Teutonismos Kempenses demonstrat. Vidi tertiam editionem in fol. ab eodem Iodoco Badio perfectam ad Idus Iunias, M. D. XXIII.

XXIV.

Codex MS. Louaniensis.

A. D. 1524. IN Bibliotheca Canonicorum Regularium ad S. Martinum Lovanij servatur codex MS. qui hæc verba præfert: *In hoc libello continentur subjecta Opuscula Fr. Thomæ à Kempis, &c.* inter quæ vnum ita inscribitur: *Incipit liber primus Fr. Thomæ Kempis Canonici Regularis, de Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi.* Deinde sequitur secundus, tertius, & quartus, atque in fine; *vltimâ Decembris, finientis Anni M D. XXIV.* Rosweyd. Test. §. 1. num. 4.

XXV. Edi-

XXV.

Editio Veneta.

EDitio Veneta anni 1535. apud Steph. Sabiensem, libros *de Imitatione Christi* nonnullis Thomæ Kempensis Opusculis interserit *a*. Cur, nisi quia Thomam scivit germanum esse auctorem? Et si quid Valgravius *b*. probat, Gersenem esse auctorem librorum *de Imitatione Christi*, quia in codice MS. Cavensi, in primi libri litterâ Q. reperitur effigies alicuius hominis innominati, habitu depicta Benedictino; quantò efficaciùs ego probo, Thomam à Kempis esse auctorē, quia hi libri alijs eius opusculis indubitatis interseruntur tum in contextu, tum in catalogo post Hortulum rosarum. A. D. 1535.

D XXVI. Edi-

a. Rosvveyd. Vindic. cap. 9. & 16. b. Præmonit. §. 3.

XXVI.

Editio Achillis Statij.

A. D. 1541. ACHILLES Statius Lusitanus, vir omni litterarum doctrinâ excultus, librũ Thomæ Kempensis *de Imitatione Christi* Parisijs edidit Anno 1541. exauctorato D. Bernardi nomine, cui vetus impressio Brixiana tribuebat. Refert Rosweydus cap. 3. Vindic. ex Caietano.

XXVII. XXIIX. XXIX. XXX.

Versiones Hispanicæ quatuor.

A. D. 1542. LIbri ex istis antiquissimi, quem in Bibliotheca Reip. August. reperi, Titulus hic est, *Contemptus mundi nueuamente romançado*: hoc est, *de nouo Hispanicè translatus*. In fine prologi habentur hæc verba; *Y aunque no bemos*

bentos de mirar tanto el auctor que habla, quanto lo que habla: es bien que sepas que quien hizo este libro, no es Ierson, como hasta aqui se intitulaua: mas Fray Thomas de Kempis, *Canonigo reglar de San Agustin: el qual comiença assi en el nombre de IESV Christo nuestro Sennor. Libro del menosprecio del mundo. y de seguir à Christo.* Latinè sic habeto; *Ac licèt non tam oporteat respicere auctorem, qui loquitur, quàm id quod loquitur, bonum tamen est, vt scias, eum qui hunc librum composuit, non esse Gersonem, sicut hucusque inscribebatur; sed Fratrem Thomam de Kempis Canonicum Regularem S. Augustini: qui sic incipit in nomine Dn. nostri Iesu Christi Liber de contemptu mundi, & Imitatione Christi.* Locũ, Diem, & Annum Impressionis ex istis discito: *Impresso en la muy noble ciudad de Lixbona en casa de German Gallarde. Acabose a cinco dias del mes*

de Enero. Anno de M. D. XLII. Impressus in nobilissima civitate Olisipone, in domo Germani Gallardi. Absolutus quintâ die mensis Ianuarij Anno 1542. Nomen istius quæris interpretis Hispani? Valerius Andreas Taxander in Catalogo clarorum Hispaniæ Scriptorũ te docebit; *Ludouicus Granatensis*, inquit, è *Latino aureum illum Thomæ Kempensis libellum de Imitatione Christi conuertit, teritúrque omnium manibus*. Idem mihi asseverauit è Societate nostra R. P. Ioannes de Dicastillo Hispanus, Mariæ Augustæ à Sacris concionibus, commentarijs suis in Theologiam clarus.

Proximum locum demus linguæ Catalanicæ; quam auctorem librorũ quatuor *de Imitatione Christi*, Thomam à Kempis, docuit Petrus Ægidius è Societate IESV, vir nescias doctrinâ an Sanctitate ma-

ior

ior. *Philippus Alegambe in Bibliotheca Script. Soc Iesu.*

Neque silentio præterire possum Versionem aliam Hispanicam *R. Patris Nicolai Arnayæ* de Soc. Iesu, qui libros quatuor de Contemptu mundi, seu *de Imitatione Christi*, Thomæ Kempensis transtulit ex Latino Hispanicè, atque edidit Madridij, M.DC.XV. *Alegambe in Bibl. S. I.*

Quin etiam illud non tacebo, *P. Franciscum Smidt* Antuerpiensem è Soc. Iesu, itidem *Thomam à Kempis de Imitatione Christi* transtulisse in linguā Hispanicā M. DC.XXXIII. apud Cnobbaert in 24.

XXXI.

Versio Flandrica.

R. D. Nicolaus de Winghe Canonic⁹ Regularis ad S. Martinum Lovanij, A. D. 1548.

vanij, libros quatuor *de Imitatione Christi* à Thoma Kempensi compositos, linguâ vernaculâ vertit. Anno 1548. Curis secundis in lucem emisit Ioannes Vlimmerius, approbauitque Ioannes Molanus, notum à doctrina nomen, anno 1576. Typis suis recudit Hieronymus Verdussius Antuerpiæ Anno 1591. quod ad manum mihi fuit exemplar, méque docuit vulgarē huius libri titulum fuisse *Qui sequitur me.* Ita leges inscriptam libri frontem: huius meminit Epistola nuncupatoria: ita omnes pagellæ loquuntur, *Qui sequitur me* D'eerste Boeck. *Qui sequitur me* TWeede Boek. *Qui sequitur me* TderdeBoek. *Qui sequitur me* t'Vierde Boek.

XXXII. Edi-

XXXII.

Editio Roginiana.

IOannes Roginius Parisijs Anno 1549. edidit in folio omnia Opera Thomæ de Kempis, quæ Gabriel Putherbæus dedicavit Stephano Poncherio Episcopo Baionensi. Primas tenet *Imitatio Christi.* A. D. 1549.

XXXIII.

Editio Antwerpensis.

ANtuerpiæ formis Ioannis Stelsij, anno 1550. & 1552. prodijt *libellus verè aureus de Christo imitando, ex fontibus sacræ potißimùm scripturæ excerptus, Auctore D. Thoma de Kempis.* Ipso libri in limine lego: *Dulcißimi ac Religiosißimi Fr. Thomæ de Kempis de Imitatione Christi, libelli quatuor plane divini, qui falsò D. Ioanni Gersoni* A. D. 1550. 1552.

Cancellario Parisiensi vulgò adscripti sunt. Iterum vidi excusum ab heredibus Stelsianis, Anno 1569.

XXXIV.

Versio Germanica.

A. D. 1554. 1555. LIbros quatuor *de Imitatione Christi* in linguam Germanicam translatos Clariss. vir Conradus Brunus I.C. & Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Othonis Truchsessij Cancellarius partim castigavit, partim de novo, adjecto libro quarto, interpretatus est, ac Dilingæ formis Sebaldi Mayer typographi Academici evulgavit Anno 1554. & 1555. in 8. Tribuit Thomæ Kempensi in Epistolâ dedicatoria.

Brunum summis laudibus extollit Guilielmus Eysengreinius in Catalogo testium veritatis ad annum 1548. mihi fol. 200. pag. aversâ.

sâ: Carolus item Stengelius R.mus Abbas Anhusanus, Commentar. rerum Augustan. parte 2. cap. 67. num. 39. 40. Antonius Possevinus in Apparatu.

XXXV.

Editio Lugdunensis.

THeobaldus Paganus Anno 1554. iterum anno 1555. excudit Lugduni libros quatuor *de Imitatione Christi*, præfixo Ioannis Gersonis nomine, cui tamen in fine abiudicat: *Quamvis iste libellus dicatur Ioannis Gersonis, author tamen ipsius fuit Thomas de Kempis, Canonicus Regularis.* Libri forma 12. quâ denuo recudit anno 1561. A. D. 1554. 1555. 1561.

XXXVI.

Editio Viennensis.

VIennæ in Austria, sub ipsis Kalendis Octobribus anni A. D. 1561.

1561. impressi sunt in ædibus Collegij Cæsarei Societatis IESV, libri IV. *de Imitatione Christi*: quorum auctor, in calce codicis, asseritur esse Thomas à Kempis Canonicus Regularis.

XXXVII.

Interpretatio Latinior Sebastiani Castalionis.

A. D. 1563. EST hic homo quidem acatholicus, & qui bonas horas alijs satiùs impendisset voluminibus perpurgandis, quàm quòd libellum de imitando Christo venustioris cortice Latinitatis circumvestire voluerit: in quem si totum adeo Ciceronis myrothecium, atque omnes eius discipulorum arculas, ac nonnihil etiã Aristotelica pigmenta consumpsisset, inde nihilo plus accederet ei maiestatis, quàm mulieribus com-

commendationis ex myrobalano, quæ tum, cùm nihil olent, bene olere videbuntur. Verùm hoc in præsentiarum prætermisso, quem illius pronunciet esse auctorem, tum Inscriptione, tum Præfatiunculâ clarum facit istiusmodi verbis: *Libellum hunc conscripsit olim Latinè Thomas dictus de Kempis, quem nos Kempisium appellamus, natione Germanus, Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini, qui claruit circa annum 1410.*

XXXVIII.

Editio Coloniensis.

PRælfi Materni Cholini typographi Coloniensis anno 1563. excudit *de Imitatione Christi, & contemptu rerum mundanarum* libros quatuor verè aureos, auctore *Thoma de Kempis.* Ex eadē officina prodierunt anno 1582. A.D. 1563.

XXXIX.

Editio Lugdunensis.

A. D. 1564. EXijt officinâ hæredũ Iacobi Iunctæ anno 1564. & 1567. formâ 12. Ioannem quidem Gersonem in fronte auctorem libri venditat, in calce tamẽ legitimo parenti adscribit, his verbis: *Quanquam iste libellus dicatur esse Ioannis Gersonis, auctor tamen ipsius fuit Thomas de Kempis Canonicus Regularis.* Vidi ab ijsdem heredibus recusum anno 1570. 1587.

XL. XLI.

Versiones Gallicæ duæ.

COdicis primi, qui est impressus anno 1565. hæc est epigraphe; L'Art. & Maniere de perfaitement ensuiure Iesus-Christ, & mespriser toutes A. D. 1565.

les

les Vanitez de ce monde, autrement dite: L'internelle Consolation, iadis composée en Latin par Thomas de Campe, & puis naguieres fidelement traduite, selon le sens de l'Autheur.

Ex Epistola ad Lectorem ista Latinè vertimus:

Quantum ad auctorem libri huius attinet, licèt multæ tam latinæ, quàm vulgares impreßiones nullam eius nominis mentionem faciant, licèt etiam plures doctißimo ac celeberrimo Viro M. Ioanni Gerson Vniuersitatis Parisiensis quondam Cancellario attribuant, potest nihilominus euidenter probari, compositum esse per Venerabilem F. Thomam Malleolum, natum Campis in Episcopatu Trajectensi ante centum circiter annos, hominem sanctum, & bonæ conscientiæ, mundi contemptorem, fidum Christi amatorem, qui habuit intellectum Spiritûs S. gratiâ illustratum, & mirè exercita-

tum

tum in vera via perfectionis Evangelica, & doctrinis diuinis apprimè imbutum, ad vtilitatem Christianæ Reipublicæ. Per quæ magnum sibi nomen in Belgij ciuitate Svolla peperit, vbi etiam mortem obiuit. Iuvat etiam Censoris testimonium audire. *Hos libellos tres de Imitatione Christi, & quartum de Sacramento Altaris, compositos Latinè per Venerabilem Patrem Thomam à Campis, nunc de nouo Gallicè fideliter & Christianè translatos, judico cum fructu Ecclesiæ posse prælo committi. Sic approbo testimonio signi mei manualis. Actum octauâ Octobris. Anno 1565.*

Ita est. Philippus de Almaraz, Canonicus insignis Ecclesiæ S. Mariæ Antuerpiensis.

Non te quicquam moveat, si legeris, Thomam modò Campensem, modò Kempensem dici: error est, non Personæ, sed Patriæ, & Kempis ille, quod oppidum est exi-

exiguum; non Campis, quæ civitas haud ignobilis, ortum ducit, quod ipse de se his verbis edicit. Chronic. montis S. Agnetis cap. 8. *Eodem anno* (nimirũ 1399.) *ego Thomas Kempis Scholaris Dauentriensis, ex diœcesi Coloniensi natus, veni Zvvollis pro Indulgentijs. Deinde processi lætus ad montem S. Agnetis, & feci instantiam pro mansione in eodem loco, & fui misericorditer acceptatus.* Iterum cap. 10. *Anno Dn. 1406. in die Sacramenti inuestitus est Thomas Hemerken de Kempis ciuitate, diœcesis Coloniensis.*

Nomen interpretis huius Gallici non est proditum. *Antonius Viuianus* Societatis Iesu, natione Gallus, domo Petracoras, is fuerit, an alius, equidem ignoro. Si hic sit, nomen illius edidit Philippus Alegambe *a*. Si alius; quod equidem existimo, habes ab Antonij calamo

a. in Biblioth. Script. S. I.

mo rursum Gallicè versos Thomæ à Kempis libros *de Imitatione Christi*.

XLII.

Versio Italica Porcacchij.

A. D. 1569. EDita est huius libelli Versio Italica Venetijs anno 1569. interprete Thomâ Porcacchio de Castillione Aretino; præfixo in prima fronte, & singulorũ librorum initijs nomine Thomæ de Kempis, vnà cum prologo celeberrimi P. Ludovici Granatensis: qui post amplissimã Operis commendationem; *Quamquam*, ait, *minùs curandum est de auctore, qui loquitur, quàm de ijs, quæ loquitur; bonum tamen est, vt nôris, scriptorem huiusce libri non fuisse Ioannem Gerson, prout hactenus quidem habuit nomen, & titulum, sed D. Thomam de Kempis Canon. Regul. S. Augustini.*

XLIII.

XLIII.

Editio Dilingana.

Dillingæ ex typographeo Sebaldi Mayer, anno 1571. prodierunt libri quatuor *De Imitatione Christi, auctore Thomâ de Kempis.* Accessit Regula tironis spiritualis, à *Ludovico Blosio* conscripta. In Præfatione hæc habentur: *De auctore afferamus aliquid. Quanquam is multis tum Latinis, tum Germanicis exemplaribus Ioan. Gerson Cancellarius Parisiensis nominatur, tamen facilè doceri potest, eum à Thoma Malleolo conscriptum esse. Fuit hic oriundus ex oppido Kempis in diœcesi Coloniensi, vnde etiam Thomas de Kempis dicitur, Canonicus Regularis, vir eximiæ Sanctitatis, maximarúmque virtutum, multis Dei muneribus instructus, cuius etiamnum in Germania inferiori apud Svvollenses nomen & fama celebratur.* A. D. 1571.

XLIV. Edi-

XLIV.

Editio Antuerpiensis.

A. D. 1574. ANno 1574. Antuerpiæ Philippus Nutius prælo suo subiecit Opera omnia *Thomæ à Campis* cognomento Malleoli, vbi principem locum tenent libri *de Imitatione Christi.* Idem rursus prælo commisit anno 1580.

Reprehendit Abbas Caietanus Philippum Nutium, quòd omniū primus inter Kempensis opuscula illud de Imitatione Christi inserere ausus fuerit; cui miror quomodo hoc in mentem & calamum venire potuerit, cùm tot habuerit Nutius ante se exempla, vt demonstravimus Testim. 17. 23. 25. 32.

XLV.

Editio Alectoriana Coloniæ.

A. D. 1575. ITerum Colonia Agrippina pro municipe suo testimoniū

dicit

dicit. Edidit per civem ac typographum suum Ludovicum Alectorium, libros IV. *de Imitatione Christi*, anno 1575. nec aliū quàm Thomam Kempensem, suæ diœceseos atque ditionis alumnū, eorum nominat auctorem.

XLVI.

Editio Francisci Tolensis.

FRanciscus Tolensis Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini, libros *de Imitatione Christi* latiniores fecit: quod ante ipsum malâ fide præstiterat Sebastianus Castalio heterodoxus; toto libro quarto, qui de Sacramento tractat Eucharistiæ, sacrilegè sublato. Antuerpiæ anno Christi 1575. edidit typis Ioañis Belleri. Vtrùm operæ pretium fecerit, ego non discutio: satis mihi est, Tolensis editionem præferre nomen *Thomæ à Kem-* A. D. 1575.

à Kempis: Prælo secundùm exierunt Antuerpiæ anno 1578. Tertiùm Coloniæ anno 1582.

XLVII.

Editio altera Dilingana.

A. D. 1576 DIlingæ Suevorum oppido, quod Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Otho Truchsessius conditâ Academiâ reddidit celebre, Sebaldus Mayer formis suis excudit anno 1576. omnia Opera Thomæ de Kempis in charta 12. tomulis duobus. Principe loco sita est *Imitatio Christi*.

XLVIII.

Interpretatio vulgari Turcarum linguâ.

A. D. 1580. R. P. Henricus Sommalius de Societate IESV, in Epistola ad Leonardum Ber-

Bettenium Antistitem S. Trudonis datâ kalendis Ianuarijs anni 1598. refert, cuidam è Societate IESV, ante annos plus minus duodeviginti, Argirium Mauritaniæ profecto, vt pretium redemptionis captivorum deferret, Regem (qui aliquando Christianus fuerat) in sua Bibliotheca, variâ librorum supellectili instructâ, inter cæteros codices visendū porrexisse libellum Thomæ â Kempis, de Imitando Christo, vulgari Turcarum linguâ conversum. Adiecisse quoque, pluris se vnicum illum facere, quàm reliquos omnes Mahumetanorum.

XLIX.

Editio Romana.

DEscripsit Romæ characteribus suis Franciscus Zanettus anno 1583. libros IV. A. D. 1583.

IV. *de Imitatione Christi*, sub nomine quidem Ioannis Gersonis, cui olim, maximè in Italia, falsò inscribebatur: in calce tamen libri docet, quis sit germanus auctor, istiusmodi verbis. *Quamuis iste libellus dicatur Ioannes Gerson: auctor tamen ipsius fuit Thomas de Kempis, Canonicus Regularis.*

L.

Versio Bohemica.

Circa hæc tẽpora.

BAlthasar Osthovius Bohemus è Soc. IESV, Thomæ à Kempis libros quatuor *de Imitatione Christi*, seu de contemptu mundi, popularibus suis vernaculâ linguâ legendos tradidit. Obijt Anno Salutis 1600, antiquissimus Professorum suæ Provinciæ. *Philip. Alegambe in Biblioth. Script. Soc. Iesu.*

LI. Edi-

LI.

Editiones complures Colonienses.

LIbros *de Imitatione Christi* sub nomine Thomæ de Kempis, vnà cum Vita Christi è quatuor Evangelistis contexta à Cornelio Iansenio Episcopo Gandavensi, ex Officina Birckmannica sæpius in lucem dedit Colonia, vt anno 1591. 1592. 1596. 1599. 1606.

A. D. 1591. 1592. 1596. 1599.

LII.

Recensio Henrici Sommalij ad autographa.

R. P. Henricus Sommalius è Soc. IESV, nactus autographum Thomæ de Kempis Lovaniense à Martiniensibus S. Augustini Canonicis Regula-

A. D. 1599. 1600. 1601.

gularibus; & alterum Antuerpiæ in domicilio Societatis, ad illorum fidem recensuit libros ipsius quatuor *de Imitatione Christi*, quos typis Plantinianis vulgavit operâ Ioannis Moreti, anno 1599. inde, anno 1601. & 1607.

Idem opera omnia THOMÆ Kempensis emendavit, auxit, & in Tomos tres distribuit, ediditque Antuerpiæ bis litteris Martini Nutij, anno primùm 1600. in 8. Dein 1607. in 4. imò tertiùm anno 1615. in 8. Balthasar Beller⁹ excudit Duaci 1625.

Editio alia librorum quatuor *de Imitatione Christi* ab Henrico Sommalio recensitorum procurata est Coloniæ, sumptibus Conradi Butgenij Anno 1610. vt Monacenses, Parisienses, Duacenses, & innumeras alias taceam editiones, nitoris Sommaliani æmulatrices.

LIII. LIV. LV.

Interpretationes Polonicæ tres.

PEtrus Fabricius è Soc. Iesu, in linguam Polonicã transtulit Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi* libros quatuor, ex recensione Henrici Sommalij. Edidit Cracouiæ Anno 1608.

Eandem operã Thomæ à Kempis impenderunt duo alij Patres Societatis IESV: *Simon VVysocki*, natione Roxolanus, seu Ruthenus; & *Ioannes VVielevvicki* Polonus, qui transtulerunt in linguã patriã, *THOMÆ à Kempis libros quatuor de Imitatione Christi*, ab Henrico Sommalio iuxta autographum recensitos.

LVI.

Versio Anglicana.

ANtonius Hoskinus, natione Anglus, patriâ Herefordiensis,

ensis, è Soc. IESV, anno 1611. transtulit è Latino in Anglicum sermonem, Thomam à Kempis *de Imitatione Christi*, impressum Audomari, & postea sæpius.

LVII.

Interpretatio Græca.

A. D. 1615. AVgustæ Vindelicorũ anno 1615. prodijt Thomas à Kempis *de Imitatione Christi* Latinogræcus, interprete Georgio Mayr è Soc. IESV, qui epistolam Dedicatoriam ad Claudiũ Aquauiuã, Societatis IESV Præpositum Generalem, ita orditur: *In tanta piorum libellorum copia, Adm. R. P. vix vllum extare arbitror, quem tanto studio vniuersa Societas nostra iam inde à sui primordio complexa sit, atque illum à Thoma Kempensi de Imitatione Christi conscriptum: neque iniuriâ. Probè enim nouimus, B. Ignatium*

tium Loiolam; nostrum omnium parentem ac Ducem, non solùm magnificè de eo sensisse, sed quotidiano vsu, lectionéque familiarissimum eum sibi, filijs verò suis (quoniam, quem ipse ex eo progressum hauserat, non minorem in ijs volebat, sperabátque) commendatissimũ reddidisse, vt suo exemplo illius non minùs doctrinam haurirent auidè, quàm Spiritum sanctè, perfectéque, viuâ quadam imagine, in se ipsi exprimerent. Quo sanè consecutum videmus, vt Societas nostra, dum orbem propè vniuersum peruadit, aureum hunc libellum circumtulerit, eiúsque amorem magnis æquè ac paruis, tam in sæculi patentiori agro, quàm Religionis paradiso agentibus instillarit, vsúmque singularem summo omnium quæstu commendarit.

LVIII.

Codex MS. Treuirensis, Soc. IESV.

IOannes Tullensis è Soc. IESV, vir nihilo virtute, quàm doctrinâ minor, carminum sacrorũ libellos aliquot contexuit facili ac pio stylo, suáque manu descripsit: quo in genere excellit, ac Treviris asservatur liber *de Imitatione Christi*, ita metro elegiaco redditus, vt à simplici auctoris phrasi non recedat, & vnius tantùm syllabæ elisio intercurrat in quarto libro *a*. Is de auctore librorum IV. de Imitatione Christi, post primos duos versus ita canit in præfatione:

Thomam de Kempis miraberis esse Poetam:
Hactenus absq; modis namque locutus erat.

Post duas paginas.

Non alius liber est, sed quod fuit antè volumẽ,
Est mutata modis non nisi forma libri.
Est idem Thomas de Kempis: vnus hic auctor:
Detractum Thomæ vult mea Musa nihil.

Et infrà.

Ex hoc attribuo mihi nil, nil vendico nostrum:
Sit Thomæ meritum, sit suus omnis honor.

Dein-

a Philip. Aleg. in Biblioth. S. I.

Deinceps.

Spiritus ipse Dei Thomæ dictasse videtur,
Cùm meditans calamo scriberet illa suo.

Et postquam multa in commendationem libelli scripsit, iterum subijcit.

Thomas de Kempis est ipse voluminis auctor:
Dignus eo liber est, dignus & ille libro.
Dignus prole parens, & proles digna parente:
Vt pius est natus, sic pius ipse parens.
Carmine nunc loquitur, sed carmine dicit idipsum,
Quod sermone prius simplice scripsit, ait.
Non alius liber est, sed tantùm versibus alter:
Thomam de Kempis qui leget, ille leget.

Ista testantur litteræ R. P. Guilielmi Euskirchen S. I. ad me Treviris datæ 11. Decembr. Anno 1649.

LIX. LX.

Versio Iaponica & Arabica.

ANonymus quidam interpres è Soc. IESV librum Thomæ à Kempis, *de Imitatione Christi*, in linguam Iaponi-

cam: *a*. Cœlestinus de S. Lidvina Carmelita Discalceatus in Arabicam transtulit. *b*.

LXI.

Editio Gasparis Belleri.

A.D. 1616. GAspar Bellerus Antuerpiæ anno 1616. ad ipsius auctoris autographum, suam editionem adornavit. Cùm enim Ioannes Bellerus pater ipsius, beneficio Ioannis Latomi, Capituli Windesemensis tunc Generalis, autographum Thomæ Kempensis è ruinis monasterij S. Agnetis servatum, dono accepisset, ipse eo thesauro donavit P. Georgium Duras Collegij Antuerpiensis Rectorem: qui eidem Bellero apographum (ita enim flagitaverat) ex autographo descriptum redonavit. Ex hoc apographo filius suam

a. Philip. Aleg. in Biblioth. S. I. b. Valer. Andr. in Biblioth. Belg.

suam editionem elaboravit. *Ros-vveyd. Vindic. cap. 9. & 19.*

LXII.

Recensio altera Heriberti Ros-vveydi ad autographa Thomæ Kemp.

A. D. 1617.

R. P. Heribertus Rosweydus de Soc. IESV, libros quatuor *de Imitatione Christi* denuò ad autographorum fidem revocauit, & cum *Vindicijs Kempensibus*, adversus Abbatem Caietanum, evulgavit Antuerpiæ formis Plantinianis, apud Balthasarem & Ioannem Moretos anno 1617. *Vindiciæ* rursus à Belleris anno 1621. ab alijs frequentissimè sunt recusi (vt adeo pigeret annumerare) libri *de Christi Imitatione* ab eo castigati.

Quid verò post tot editiones ad amussim autographorum exactas, necessum fuit à Rosweydo denuò re-

recenseri? Primùm Sommalius non vbique ipsa Thomæ verba ex autographo expressit, quorundã, vti Rosweydo videtur, a. barbarie offensus. Tum ipsum Sommalium audiamus confitentem, vnius hominis non fuisse, omnes evitare errores: alterâ enim ad Leonardum Bettenium Abbatem epistolâ, quâ ipsius nomini omnia Thomæ à Kempis Opera inscribit; *Spero*, ait, *vt si non omnia, saltem plurima, quæque maioris essent momenti, ad autographa me emendasse.* Et non longè pòst: *Auctor tot ipse notis compendijsque scribendo vtitur, vt paucæ dictiones queant reperiri ab huiusmodi notis liberæ.* Quàm facile igitur est, in istiusmodi characterũ diverticulis excidere viâ! Hinc in Præfatione ad secundã Editionem, humani nihil à se alienum reputat: *Equidem dedi operam* (verba sunt

a. Vindic. Kempens. cap. 19.

ſunt modeſti Viri) *vt ad autographa, ferè omnia Thomæ à Kempis Opera, iam primùm à me tertia ex parte aucta, & verò caſtigata exirent in vulgus. Cæterùm, dum ſingula denuò ad autographa reuocaui, atque etiam expendi, nonnulla ad integritatem deeſſe comperi. Dicam itaque cum Apelle (neque enim verebor) dicam cum Polycleto liberè, Faciebam.* Speravit quidem, ſe alterâ editione ad omnem perfectionē Opus adduxiſſe; Verùm quia Roſweydus animadvertit, etiamnum hanc Spartam excoli poſſe, vt plura vident oculi, quàm oculus, animum appulit ad novam Recenſionem. Ad hanc operam rectiùs præſtandam vſus eſt autographo Antuerpienſi, & in ſubſidiū vocato illo altero Lovanienſi, ac poſtremam Sommalij editionem examinando ad iſtorū regulam, penè centum locis exerrantem offendit. Novam igitur

lucubrationem ad eorundem fidẽ, quoad licuit, exegit, atque typographorum curis tum Antuerpiæ, tum alibi paſſim evulgandã commiſit. Hanc porrò Editionem Abrahamus Bzovius *a*. & Caietani, & cæterorum omnium conatibus præfert, quòd ad ſinceriora, quàm illi, exemplaria hic recenſuit.

De Recenſione Roſweydi, & Vindicijs adverſus Caietanum ita iudicat Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus Antuerpienſis, & Librorum Cenſor. *Hos Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti libros quatuor, nunc denuò ad duo autographa operâ R. P. Heriberti Roſvveydi recenſitos, vnà cum Vindicijs Kempenſibus eiuſdem Rosvveydi adverſus Abbatem Conſtantinum Caietanum, quibus egregiè auctori ſuo librum ſuũ* *ſoli-*

a. Annal. Eccleſ. tom. 18. ad annum Chriſti 1471. §. 21.

solidissimis rationibus vindicat, dignissimos judico, qui Typographiæ beneficio ad manus plurium perueniant. Datum 23. Martij, anno 1617.

Egbertus Spitholdius &c.

LXIII.

Editio Coloniensis.

INeunte autumno illius anni M. DC. XVII. ad diem VI. Idus Septembres, Coloniæ Agrippinæ Ioannes Kinckius edidit formis suis libros quatuor Thomæ à kempis *de Imitatione Christi*, ex novissima recensione Rosweydi. In epistola nuncupatoria ad Albertum Luyckenium, Ord. Canonicorum Regularium, per vtramque Germaniam Generalē, posteaquam de injuria conquestus est, quâ Thomæ Kempensi liber *de Imitatione Christi*, nobilissimus ipsi⁹ partus, indignissimè A. D. 1617.

 subri-

subripitur, atque auctori supponitur peregrino; *Sane*, inquit, *apud Belgas, ordinémque vestrum id adeo insolens audit, vt pipulis puerilibus nugaciores Caietani rationes iure asserant. Ne tamen sibi placere Italus, & palpare sese apud exteros videretur, vir eruditißimus Rosvveydus ex Soc. IESV solidißimis Vindicijs exulem Thomam Belgio restituit, adeóque asseruit, vt brutus sit, quisquis exterorum aliena à Belgio prouincia illum inserere, & vel ad oleas Italicas, vel Francicas vites Germanum traducere machinetur.*

LXIV.

Libri de Imitatione Christi, in locos communes digesti.

Dilingæ sub Auctumnalia, anni M. DC. XXVI. formis Academicis, operâ Iacobi Sermodi, excudebantur. *Ele-*

A. D. 1626.

Elementa Christianæ perfectionis, à THOMA de Kempis quatuor libris *de Imitatione Christi* olim comprehensa, nunc ijsdē verbis, novo ordine alphabetico, per locos communes digesta. Quid in vestibulo voluminis præfatus fuerit Henric⁹ Wangnereckius Societatis IESV Theologus, infrà docebere suo loco, quo inter testes eum producemus.

LXV.

Editio Antuerp. cum certissimis Testimonijs pro Thoma Kemp.

RVrsum Heribertus Rosweydus Anno 1627. typis Antuerpianis edidit libros IV. *de Imitatione Christi*, quibus præmisit certissima Testimonia, quibus THOMAS à Kempis asseritur Auctor librorum *de Imitione Christi*. A. D. 1627.

LXVI.

LXVI.

Versio Gallicana auctoris ignoti.

A.D. 1627. GAllus quidam, cuius nomen sub harũ latitat vmbra litterarũ M.R.G.A.G. libros quatuor *de Imitatione Christi*, sub nomine Thomæ kempensis, edidit sermone vernaculo, typis Joannis Amati Candy, anno 1627. Lugduni. Præfationẽ, in qua summis laudibus & elogijs ornat hosce libros, istiusmodi concludit verbis. *Quamuis non necesse sit, tantam nominis Auctoris rationem habere; quantam rerum quas tradit; nihilominus scias velim, hunc librum esse THOMAE de Kempis, Can. Reg. S. Augustini & non Gersonis, cui per errorem attribuitur.* Ista pro Germano Gallus.

LXVII.

LXVII.

Editio P. Ioannis Bollandi Soc. IESV.

CVm ſub finem anni 1629. obijſſet R. P. Heribertus Roſweydus, vellétque Dn. Balthaſar Moretus libellum *de Imitatione* recudere, R. P. Bollandum rogavit, vt Præfatiunculam præfigeret, quâ ſaltem indicaret, Roſweydum obijſſe. Fecit, & adjecit paucula, tum ex ipſius Roſweydi ſchediaſmatis, tũ P. Iacobi Quaille litteris accepta, à quo plura ſubmiſſa ſunt Româ ad eandem cauſam Kempenſem pertinentia *a.* Prodijt Libellus Antuerpiæ anno 1630. & 1634. A. D. 1630.

LXVIII. LXIX.

Duæ Verſiones Hungaricæ.

Emi-

a. ex litteris P. Bollandi ad me Antuerpiâ, 9. Nouemb. 1647.

A. D. 1636. EMinentissimus S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Strigoniensis, Petrus Pazmany è Soc. IESV, qui paucis post Pijssimum Cæsarem Ferdinandum II. diebus, cuius obitum incredibili sensu exceperat, Posonij brevi ex morbo decessit anno 1637. inter postremos labores litterarios, Hungaris suis Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi* libros quatuor à se conuersos reliquit.

Eandem operam præstitit iam ante Gregorius Vasarheli, natione Hungarus, gente Dacus, seu Transilvanus, qui edidit Hungaricè translatos à se Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi* libros quatuor Claudiopoli.

LXX.

Editio Monacensis.

A. D. 1641. THomæ à Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini

ſtini *de Imitatione Chriſti* libri quatuor, juxta vltimam recenſionem Heriberti Roſweydi, Monachij Boiorum metropoli prodierunt anno 1641. formis Cornelij Leyſerij Electoralis typographi & Bibliopolæ. Vt ſingularis fieret mentio huius editionis, à duabus Latinis proximè ſuperioribus nihil diverſæ, fecerunt *Vindiciæ nouæ Kempenſes* Religioſiſſimi & Ampliſſimi Patris ac Domini Simonis Werlini, Can. Reg. Ord. S. Auguſtini Præpoſiti Dieſſenſis, contra Franciſcũ Valgravium, patronum partis Gerſenianæ, quæ illi editioni fuerunt annexæ.

LXXI.

Verſio Illyrica.

BArtholomæus Caſſius, Dalmata, Soc. IESV, edidit Thomæ de Kempis *de Imi-* A.D. 1641.

tatio-

tatione Christi libros IV. à se Illyricè redditos. Romæ M. DC. XLI.

LXXII.

Recensio R. D. Iacobi Merlo Horstij.

A. D. 1643. 1646. EX nova recensione Iacobi Merlo Horstij, Pastoris in Pasculo, prodierunt libri quatuor Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi* Coloniæ, anno 1643. quos juxta exemplar Coloniense recudit Parisijs Gabriel Clopeiau anno 1646.

LXXIII.

Editio Parisiensis.

A. D. 1649. ANno priore, M. DC. XLIX. typis excusi sunt *Thomæ à Kempis de Imitatione Christi libri quatuor: cum euictione fraudis,*

qua

qua nonnulli hoc opus Ioanni Gersen Benedictino attribuêre. Parisijs apud Sebastianum & Gabrielem Cramoisy.

LXXIV.

Codex impressus Ulmæ.

POstremo hunc Codicem collocamus loco, impressum Vlmæ civitate liberâ Imperij à Ioan. Zeiner anno 1487. verùm Pseudepigraphū; *Gerson de Imitatione Christi, cum tractatulo de Meditatione cordis.* Sphalma typographi castigavit manus veridica, (sed quàm annosa, quis dignoscet?) quæ libri tergo hæc inscripsit. *Thomas de Kempis de Imitatione Christi; & Gerson de meditatione cordis.* A.D. 1487.

Eo, Lector, consilio codex hic allatus à nobis est, vt opponatur Codici adversariorum Ianuensi, qui

qui si aliquid probat, noster tantundem improbat. Impressus est ille anno 1501. noster impressus est anno 1487. Ille tribuit librum Ioanni Gersoni: eidem & noster. Illi ignara manus supposuit quendam Ioannem .... Abbatem Vercellensem: nostro fidelis dextera germanum restituit parentem Thomam de Kempis.

Disquisitio Codicum, quos Adversarij pro Gersene proferunt.

COdices, qui proferuntur, duplicis sunt generis: alij præferunt nomen auctoris, sed quo anno descripti fuerint, non docetur: alij nomen auctoris silent, sed annum, quo lucé à calamo acceperunt, eloquuntur. De vtrisque agemus, & singulos probè examinandos in jus vocabimus.

§. Pri-

§. Primus.

De Codicibus Aebronis, sed non anonymis.

PRimus ex ijs est Francisco Valgravio codex MS. Mantuanus in monasterio S. Benedicti ex Pado-lirone, qui sic habet: *Incipit liber Ioannis Gersen primus de Imitatione Christi. Explicit liber quartus Ioannis Gersen de Sacramento Altaris.* Atque hic est nunc Achilles adversariorum.

Verùm huic codici vitium obtulit imperitia librarij, *aut impostu-ram non benedicta manus*: quorum ille per oscitantiam, vel ista Ordinis sui philtro compulsa vocē *Gerson* in *Gersen* distorsit. Vel enim Vocalis (o) non examussim regyravit, librarij culpâ: aut castigatoris illaudata manus, exiguâ graphiarij gladioli operâ, viam aperuit litteræ (e) Ita disertis verbis adver-

adversus hunc codicem excepit Simon Diessensis, a. cui in Apologia Caietani, quæ *adversum libellos omnes quarumcunque nationum* Gersenem propugnat, nec verbulum est repositum. *Is qui tacet, non fatetur: sed nec vtique negare videtur.* Reg. 44. in 6. Fateri impostuẽram, durum ac difficile ei, qui fecit: non negare, parùm promovet causam, & honorem, atque auctoritatem Gersenis Abbatis Italo-Benedictini. Dissimulando ac tacendo vis Exceptionis non infringitur. Dices, tantùm abesse, vt Caietanus tacuerit, vt etiam *publico Instrumento cunctis vbique patere euidenter*, & esse notum voluerit: Quid? Anno 1643. die 15 Ianuarij D. Sanctem Floridum causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarium Decanum, in Aniciana Bibliotheca Constantini Caietani Abba-

a. Kind. nov. Kempens. § 1. & 6.

Abbatis vidisse libellum in 16. MS. charactere antiquo, coopertum tabulis ligneis, & corio, cui titulus est. *Incipit liber Ioannis Gersen primus de contemptu mundi, & de Imitatione Christi, &c. Explicit liber quartus Ioannis Gersen de Sacramento Eucharistiæ.* Extra chorum saltatur: non erat opus publico Instrumento ad hanc rem, quam nos vrgemus. Non inficias ivimus, in codice illo iam legi nomen *Ioannis Gersen*: legit vtique D. Notarius idem nomen, & sanctè publicâ fide attestatur, ibi legi. Sed hoc ab illis quærimus, vbi, quando, cuius manu factus ex *Gersone* fuerit *Gersen*? aut quis, cùm forsan nullum nomen adesset, ex nihilo creaverit *Ioannem Gersen*? Istud non vidit publicus, sed Notarius aliquis occultus, qui librum his verbis notavit. D. Floridus *Gersenem*, aut factum *ex Gersone*, aut ex nullâ

nullâ præsuppositâ scripturâ creatum vidit, seque vidisse attestatur: at quando, vbi, aut vtro istorum modò factus fuerit, nec vidit, nec attestatur, & partes perpurgandi vos apud Simonem Diessensem in se hoc instrumento non suscepit. De hoc vos videritis, inquiet; *ego testor, quod vidi.* Nobis nimirum suspecta est littera (o) quæ coacta sit esse littera (e) Hæ duæ litterulæ quia silentiũ vobis imposuerunt, fraudem factam vtique non negare videmini.

O etiam satis est, o libelle!

Et sit hæc primæva sit nõ adulterata scriptura; sit sane auctor istius libelli *Ioannes Gersen*, vbi iste codex docet, *Ioannem Gersen* fuisse monachum? vbi, monachum Italum? vbi, Italo-Benedictinũ? vbi, Abbatem? vbi, Vercellensem ad D. Stephani? Altum hic silet datus in ruborem codex, & ex alijs fidis tabu-

tabulis iſta non conſtant, quî ergo hic codex magis fauet Benedictinis, quàm vllis alijs? Noſtrorum codicum ſinguli oſtendunt auctorem huius libelli Thomã Malleolum de Kempis, Canonicum Regularem Ord. S. Auguſtini, in monte S. Agnetis. Oſtendant Adverſarij vel vnicum antiquum codicem, in quo hæc ſimul legantur; *Ioannes Gerſen, Italus, Monachus Benedictinus, Abbas Vercellenſis ad S. Stephanum* Nos hebdomecontaphoro, ſupra omnium Romanorum luxum, Thomam Kempenſem in forum adveximus.

Codex Biſcianus, nunc Leo-Allatianus.

ALter codex MS. Biſcianus olim dict⁹, quòd in Bibliothecâ Eminentiſſimi Cardinalis à Biſcia cuſtodiebatur, ſic

pro Gersene loquitur: *Incipit Tractatus Ioannis de Canabacco de Imitatione Christi, & de contemptu omnium vanitatum mundi: & diuiditur in quatuor libros, in 12.* a.

Iste codex non est origine Italus, sed Germanus *b*. Dehinc fato, quo Saturnus à Iove regno pulsus, venit in *Latium*, vbi in Bibliotheca Bisciana *latuit*, donec ad Clarissimum virum Leonem Allatium, hominem sanè eruditissimum, atque à libris editis toti orbi notũ, migravit; vnde nomen ei à domino nunc est *Leo-Allatianus*. Vbi, quando, & quomodo Ioannis de Canabacco cæperit esse, dicere pro vero nihil possũ, nisi hoc, quòd nõ in linea versûs, sed supra eã scriptum sit *de Canabacco*: si quæras, num eâdem, vel diversâ manu? inspice codicem.

Verùm

a. Instrum. publ. allatum in Apolog. fol. 100.
b. ex litt. P. Quaille 3. *Maij* 1642.

Verùm ſanè vt ſit Ioannes de Canabacco libelli *de Imitatione Chriſti* auctor, vbi docet iſte codex, aut aliæ certæ tabulæ, *Ioannem de Canabacco*, & *Ioannem Gerſen* vnum eundémque hominem eſſe? vbi docet, fuiſſe monachũ? & monachum Italum, cùm teſtis ſit Germanus? & monachum Italo-Benedictinum? & Abbatem Vercellenſem S. Stephani? Noſtri codices conſtanter exhibent Thomam Malleolum, de Kempis oriundum, exiguo diœceſeos Colonienſis oppido, profeſſione Canonicum Regularem S. Auguſtini.

Trithemius etſi duos fecerit Thomas, deceptus nomine vnius admodum grandæui (duos & nonaginta ſcilicet annos nati) tamen in errore ſuo ſibi conſtat; dicit, vtrumque fuiſſe Kempis oriundũ, vtrumque fuiſſe Canonicum Regularem, vtrumque in eodẽ aſce-

terio D. Agnetis vixisse: & illum natu maiorem (hoc est eundem ipsum Thomam propè centenariũ) tanto antè tempore scripsisse libellum *de Imitatione Christi*, vt seniores illorum hominum, qui homines fuerunt seniores Trithemij, iam illum lectitauerint. Is, vt dixi, ex vno duos Thomas fecit errore facili, qui nimirum facilè potuit contingere, & cui etiam facilè occurritur; at quo tandem modo è duobus, ex *Ioanne*, inquã, *Gersen*, & *Ioanne de Canabacco*, vnũ hominem faciatis, eúmque Monachum Italo-Benedictinum, qui tandem creatus sit Abbas Vercellensis S. Stephani, *hoc opus, hic labor est*. Interea dum isti sparsum ac dispalatum Æsonem suum, in vnum virum recoquant, dicite vos, æqui judices, *vtri sumus jure potiores*? nos cum vno grandæuo Thoma? an illi cum tricorpore

suo

suo Geryone; *Gesen, Gessen, Gersen?* qui cùm Mediolani inter nobilem *de Gessen*, vel de *Gessate* familiã non inueniretur, quæsitus est in vico & platea, quæ vulgò denominatur *Gessa*. Neque ibi repertus, in oppidum *Gessatum*, non procul ab vrbe dissitum, indagines evocauit. Etiam in oppidi illius *Gessati* lustris non cubantem, tandem prope Vercellas *Canabacum* prodidit, quod vulgò *Cavaglia* nominatur. Tunc enimvero illorum aliquis exclamauit; Inveni: Dijs hecatombe. Gaudete, *quidquid est hominum venustiorum!* Et, *viuit adhuc*, inquit Caietanus, a. *in eodem oppidulo familia hæc Gersen, vulgò dicta Garse*. Ridemus hanc metamorphosin noui Nasonis: Ecce novus Prometheus, *audax Iapeti genus*,

 fami-

a. *In Appar. ad Gersenam, pag. 3.*

familiam nobilem, quæ non eſt Mediolani, *b.* & ex illa Geſſen *fraude malâ gentib⁹ intulit. c.*

Ecce Canabaccum in Cavagliam, per inauditam murorum motempſychoſin tranſmutauit! Et ſic denique ſuum *Gerſen* ex familia *Garſe*, operoſiſſimo ſanè figmento eruderavit. Nunc ai, mi Gerſenophylax, quid hanc ad rem opus fuit Inſtrumento publico? *d.* quid vidit, & quid ſe vidiſſe atteſtatur Sanctes Floridus? Hæc verba: *Incipit Tractatus Ioannis de Canabacco de Imitatione Chriſti, & de contemptu omnium vanitatũ mundi; & diuiditur in quatuor libros.* Nemo negauit, hæc verba ibi reperiri: neque te vrgebo, vbi, quando, à quo appoſita fuerint? codex Germanus eſt, & ego ſcriptor

b. Roſvveyd. Vindic. cap. 5. fin. c. Horat. lib. 1. Ode 3. d. quod habetur in Apolog. cap. 9. pag. 96.

ptor Germanus, dandum est aliquid gentilitati: imo gaudeo, populari meo tam sagaces nares esse, vt olfaciat fumum patrium Gersenis Itali, qui codicē Mantuanum, Aronensem, Ianuensem, Cauensem ne afflavit quidē. Sed agedum viditne etiam D. Floridus, & se vidisse publico attestatur instrumento, *Ioannem Gersen* & *Ioannem de Canabacco*, vnū esse eundémque hominem? vidítne, & se vidisse publico attestatur instrumento, *Canabacum & Cavagliam*, vnum esse eundémque locum? viditne, & se vidisse attestatur, viuere adhuc familiam *Gersen*, quæ hodie dicatur *Garse*? vidítne, & se vidisse publico attestatur instrumento, illum vnum hominem *Ioannem* natum ex familia *Garse*, ideóque cognominatū *Gersen*? oriundum ex oppidulo *Cavaglia*, ideóque dictum de *Canabacco*? Vidítne fuisse

monachum? Benedictinum? Abbatẽ? Vercellensem? S. Stephani? Hæc nisi in illo Codice *Alemanno-Italico*, *Biscia-Leo-Allatiano* viderit, frustra vobis operam suam impendit. Hîc Rhodus, hîc saltate, an *Ioannes Gersen* & *Ioannes de Canabacco* sit vnus homo? si vnus, an fuerit monachus? si monachus, an Benedictinus? si Benedictinus, an Abbas? si Abbas, an Vercellensis? si Vercellis, an S. Stephani? Nunc ad tertium codicem pergimus, qui est

Codex insignis Aronensis.

EST hic MS. in charta pergamena: Servatur in Domo Tironum Societatis IESV. Verba Valgrauij piget exscribere, quæ ipse non fideliter retulit: legit vbique nomen *Ioannis Gersen*, qui non nisi semel ita nominatur in illo codice tantopere celebrato.

Quod

Quod igitur bene vertat, Aperio codicem istum insignem. Auctorem ter lego nominatum *Ioannem Gesen*, semel *Ioannem Gessen*, denique *Ioannem Gersen*: Et sit hic codex adeo *insignis*? Et persuaserit sibi Caietanus, hunc codicem *Ioannis Gessen Abbatis manu exaratũ, vel eo dictante ab alio conscriptum*? Adeóne frequenter auctorẽ huius libri exerrare in nomine suo seu scribendo, seu dictando? *Credat Iudæus Apella, non ego.* Vnde igitur insignis appelletur, ego non dispicio. Suam antiquitatem Caietano probat tribus *a.* *Aspectu*; Fallit hic sæpissime; libros etiam non polychronos deterit vsus, corrodunt blattæ, imber corrugat, incuria lacerat, locus ipse iniquior deuastat. *Charactere*, Quid hic ostendat tametsi venustus, si flagitiosus, velut iste? Adde, quòd à chara-

 ctere

a. in Apolog. cap. 9. pag. 93.

ctere certa libri ætas non addiſci-tur: vidi ego, in monaſterio S. Crucis Canonicorum Regul. Auguſtæ, *Catholicon* in membrana, charactere tam nitido, qui cum noſtro decertet, ſcriptum ante ducentos annos: vidi in Bibliotheca Collegij noſtri Ingolſtadienſis Biblia ſacra, in charta Pergamena, & litteris, quæ à ſæculi noſtri venuſtate non procul abſunt, anno M. C. XLVII. hoc eſt, quingentis abhinc annis exarata: vidi characteres minimè annoſos, qui trium quatuórue ſæculorum ætatẽ mentiebantur. Denique *Membranâ*: Vidi res graviſſimas in rudi charta; nugas, blaſphemias, magica, hæreſes ſcriptas in membrana, neque inde inſignia colligas librorũ: vt codex perennet, membrana juvat; quòd iam Neſtoreus ſit, profectò non ſtipulatur. Et ſi codex Aronenſis propterea eſt inſignis, quia

quia ſcriptus in membrana, tunc Leo-Allatianus mediâ tantùm ex parte eſt inſignis, quia *libellus ille partim chartâ pergamenâ, & partim papyro conſtructus eſt*, teſte D. Sancte Florido Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notario, in Inſtrumento publico *b*. Cur verò iſtum Aronenſem adeo inſignem codicē non exhibuiſtis alicui Notario? an quia vos puduit ipſius auctoris inſcitiæ, qui dum autographum fabricabat, toties errauit in ſcribendo nomine ſuo, vt quod certò ſit, iam ſciri nequeat? an quia deteſtabamini vafritiem amanuenſis, qui dictata tā infideliter excepit? an quia vidiſtis, ex hoc inſigni codice non probari, Ioannem Geſen, Geſſen, & Gerſen fuiſſe Italum? fuiſſe monachum? Imò verò monachum, quia Abbas. Quaſi verò nulli ſint Abbates, niſi

 mona-

b, quod leges cap. 9. Apolog. pag. 99.

monachi. Ioannes Mauburnus fuit Abbas Liuriacensis, non tamẽ Monachus, sed Canonicus Regularis S. Augustini. Et si fuerit Abbas, fuisse Benedictinum, non Cistertiensem, non Præmonstratensem, non Abbatem sæculatẽ. Mihi certè *Ioannes Gerson*, qui fuit Decanus Canonicorum non Regularium, per inscitiam, vel per catachresin à scriptore videtur dictus *Abbas*: aut librarius, quia Gerson Cancellarius fratrẽ habuit eodem nomine dictum *Ioannem Gerson*, Cælestinorum Lugduni antistitẽ, ex duobus germanis fratribus vnũ hominem conflavit. Quod non mireris me de librario cogitare, forsan illiteratissimo, quia hoc ipsissimo lapsum errore video doctissimum nostrum Antonium Possevinum in Appar. dum ita scribit: *Ioannes Gerson, dictus item Carlerius, Gallus, Monachus Ordinis Cœlestino-*

rum,

rum, & deinceps eorundem Lugdunensis monasterij Prior, demum verò Parisiensis Academiæ Cācellarius, &c.

Est & aliud, quo auctor istorū librorum *de Imitatione Christi* repellitur à familia Benedictinorum. Persuaserunt sibi nonnulli Codicem illum fuisse reliquum è vetusta Bibliotheca Monasterij Aronensis D. Benedicti: quod secus habet. Deinde fuerit sanè reliqu⁹, num continuò auctor illius fuit Benedictinus? non alij seruabantur ibi libri, quàm scriptorum ex ordine S. Benedicti? Verùm etiam reliquum fuisse, vana est persuasio, quā subruit ille ipse, qui hunc Codicem Genuâ secum attulit, cùm tirocinium adiret Societatis IESV, *Andreas Maiolus*, in paternâ domo repertum, quē nescit, vnde venerit. *a*. Heu insignis Codicis obscu-

a. Testatur ipse Pater apud Rosvveyd. Vindic. cap. 14.

tum mundi: Capitulum primum Qui sequitur me, &c. & sub finem subjungitur: Ioannis Gerson Cancellarij Parisiensis de contemptu mundi libri quatuor, unà cum Tractatu de meditatione cordis, felici numine finiunt. Non est igitur, mi Lector, Codex Genuensis MS. sed impressus, neque valdè antiquus: possum tibi ostendere quatuor impressos multò antiquiores, qui nomen Thomæ à Kempis apertissimè præferunt; primum impressum Augustæ Vindelicorum à Ginthero Zainer, anno, si tardissimè, si inter postremos ipsius labores, anno, inquã, 1475. nã illius anni medio Aprili mortuus est typographus: *a.* alterum, tertiúmque impressum Argentorati anno 1487. & 1489. quartum impressum Norimbergæ anno 1494. Addo quintum, qui vno lustro minor est, quàm iste

Ianu-

a. Vide suprà Testim. 7.

Ianuensis codex, impressum Coloniæ per Martinum de Werdena Anno Dñi 1507. mense Februario. Deinde nō adscribitur Ioanni Gersen Abbati, sed Ioanni Gerson Cancellario Parisiensi. At nonnemo vellicat mihi aurem, & ; lege, inquit, quæ sequuntur, ex tabulis publicis. Lego : *Et mox sequitur manuscripto charactere, vt apparet antiquo: Hunc librum non compilauit Ioannes Gerson, sed D. Ioannes . . .* (punctum, punctum, punctum) *Abbas Vercellensis, vt habetur vsque hodie propriâ manu scriptus in eadem Abbatia.* Hæc Instrumentum, quod exosculor.

Sed quid hoc vestram causam juvat, obsecro ? Vidítne Floridus ibi scriptum nomen Ioannis Gersen? non vidit. Quid igitur ad rem? Vidítne illum *Ioannem* . . . tribus punctis quiescere jussum & ignorari, fuisse monachum ? Non vidit:

monachum? Benedictinum? Abbatē? Vercellensem? S. Stephani? Hæc nisi in illo Codice *Alemanno-Italico*, *Biscia-Leo-Allatiano* viderit, frustra vobis operam suam impendit. Hîc Rhodus, hîc saltate, an *Ioannes Gersen* & *Ioannes de Canabacco* sit vnus homo? si vnus, an fuerit monachus? si monachus, an Benedictinus? si Benedictinus, an Abbas? si Abbas, an Vercellensis? si Vercellis, an S. Stephani? Nunc ad tertium codicem pergimus, qui est

Codex insignis Aronensis.

EST hic MS. in charta pergamena: Servatur in Domo Tironum Societatis IESV. Verba Valgrauij piget exscribere, quæ ipse non fideliter retulit: legit vbique nomen *Ioannis Gersen*, qui non nisi semel ita nominatur in illo codice tantopere celebrato. Quod

Quod igitur bene vertat, Aperio codicem istum insignem. Auctorem ter lego nominatum *Ioannem Gesen*, semel *Ioannem Gessen*, denique *Ioannem Gersen*: Et sit hic codex adeo *insignis*? Et persuaserit sibi Caietanus, hunc codicem *Ioannis Gessen Abbatis manu exaratū, vel eo dictante ab alio conscriptum*? Adeóne frequenter auctorē huius libri exerrare in nomine suo seu scribendo, seu dictando? *Credat Iudæus Apella, non ego.* Vnde igitur insignis appelletur, ego non dispicio. Suam antiquitatem Caietano probat tribus *a*. *Aspectu*; Fallit hic sæpissime; libros etiam non polychronos deterit vsus, corrodunt blattæ, imber corrugat, incuria lacerat, locus ipse iniquior deuastat. *Charactere*; Quid hic ostendat tametsi venustus, si flagitiosus, velut iste? Adde, quòd à chara-

a. in Apolog. cap. 9. pag. 93.

ctere certa libri ætas non addiſci-
tur: vidi ego, in monaſterio S.
Crucis Canonicorum Regul. Au-
guſtæ, *Catholicon* in membrana,
charactere tam nitido, qui cum
noſtro decertet, ſcriptum ante du-
centos annos: vidi in Bibliotheca
Collegij noſtri Ingolſtadienſis Bi-
blia ſacra, in charta Pergamena, &
litteris, quæ à ſæculi noſtri venu-
ſtate non procul abſunt, anno M.
C. XLVII. hoc eſt, quingentis ab-
hinc annis exarata: vidi characte-
res minimè annoſos, qui trium
quatuórue ſæculorum ætatē men-
tiebantur. Denique *Membranâ*:
Vidi res graviſſimas in rudi char-
ta; nugas, blaſphemias, magica,
hæreſes ſcriptas in membrana, ne-
que inde inſignia colligas librorũ:
vt codex perennet, membrana ju-
vat; quòd iam Neſtoreus ſit, pro-
fectò non ſtipulatur. Et ſi codex
Aronenſis propterea eſt inſignis,
quia

quia ſcriptus in membrana, tunc Leo Allatianus mediâ tantùm ex parte eſt inſignis, quia *libellus ille partim chartâ pergamenâ, & partim papyro conſtructus eſt*, teſte D. Sancte Florido Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notario, in Inſtrumento publico *b*. Cur verò iſtum Aronenſem adeo inſignem codicẽ non exhibuiſtis alicui Notario? an quia vos puduit ipſius auctoris inſcitiæ, qui dum autographum fabricabat, toties errauit in ſcribendo nomine ſuo, vt quod certò ſit, iam ſciri nequeat? an quia deteſtabamini vafritiem amanuenſis, qui dictata tã infideliter excepit? an quia vidiſtis, ex hoc inſigni codice non probari, Ioannem Geſen, Geſſen, & Gerſen fuiſſe Italum? fuiſſe monachum? Imo verò monachum, quia Abbas. Quaſi verò nulli ſint Abbates, niſi

 mona-

b, *quod leges cap. 9. Apolog. pag. 99.*

monachi. Ioannes Mauburnus fuit Abbas Liuriacensis, non tamẽ Monachus, sed Canonicus Regularis S. Augustini. Et si fuerit Abbas, fuisse Benedictinum, non Cistertiensem, non Præmonstratensem, non Abbatem sæculatẽ. Mihi certè *Ioannes Gerson*, qui fuit Decanus Canonicorum non Regularium, per inscitiam, vel per catachresin à scriptore videtur dictus *Abbas*: aut librarius, quia Gerson Cancellarius fratrẽ habuit eodem nomine dictum *Ioannem Gerson*, Cælestinorum Lugduni antistitẽ, ex duobus germanis fratribus vnũ hominem conflavit. Quod non mireris me de librario cogitare, forsan illiteratissimo, quia hoc ipsissimo lapsum errore video doctissimum nostrum Antonium Possevinum in Appar. dum ita scribit: *Ioannes Gerson, dictus item Carlerius, Gallus, Monachus Ordinis Cœlestinorum,*

rum, & deinceps eorundem Lugdunensis monasterij Prior, demum verò Parisiensis Academiæ Cãcellarius, &c.

Est & aliud, quo auctor istorũ librorum *de Imitatione Christi* repellitur à familia Benedictinorum. Persuaserunt sibi nonnulli Codicem illum fuisse reliquum è vetusta Bibliotheca Monasterij Aronensis D. Benedicti: quod secus habet. Deinde fuerit sanè reliquꝰ, num continuò auctor illius fuit Benedictinus? non alij seruabantur ibi libri, quàm scriptorum ex ordine S. Benedicti? Verùm etiam reliquum fuisse, vana est persuasio, quã subruit ille ipse, qui hunc Codicem Genuâ secum attulit, cùm tirocinium adiret Societatis IESV, *Andreas Maiolus*, in paternâ domo repertum, quẽ nescit, vnde venerit. *a*. Heu insignis Codicis obscu-

a. Testatur ipse Pater apud Rosvveyd. Vindic. cap. 14.

obſcuriſſimos natales, quos nec domino ſuo indagare licuit!

Codex Ianuenſis S. Catharinæ.

NEſcio quid de hoc codice credam: Caietanus dicit eſſe *Manu ſcriptum*, in Appar. ad Gerſenem pag. 3. his verbis: *Codd Mantuanus & Genuenſis, MSS. in noſtra Bibliotheca Aniciana.* Et nouit vtique *Ornatiſſimus pariterque doctiſſimus Conſtantinus Caietanus Abbas S. Baronti, Ordinis S. Benedicti; diligentiſſimus veterum rerum indagator, a.* Ianuam & Genuam eſſe vnam ciuitatē Liguriæ. *Franciſcus Valgrauius Anglus, Benedictinus, litteris conſpicuus, b.* dicit, eſſe impreſſum Venetijs anno 1501. & Ioanni Gerſoni Cancellario tributum. Imo quam video duos cudiſſe de vno Codice contra-

a, b. reperies hæc elogia fol. 1. Apparatus.

tradictionem, deprehendo apud vnũ Valgrauium: pollicitus erat is, se nomen Auctoris libelli de Imitatione Christi, *ex pluribus peruetustis MSS.* prolaturũ: attulit tres. Quibus, vt æquaret numerũ Elementorum, adiunxit quartum, & illum impressum; qui sit MS. ex promisso, & non MS. vt oculis patet.

Missos tantisper faciamus Cajetanum & Valgrauiũ, dum totius rei veritas auctoritate publici Instrumenti indubitanter patescat. *Vidi*, inquit Sanctes Floridus, libellum in octavo folio continentem *plura Opuscula impressa, atque inter ea librum de Imitatione Christi, impressum Venetijs per Ioannem Baptistam Sessam, anno Domini 1501. die 1. Decembris, sub hoc titulo: Incipit Liber primus Ioannis Gerson Cancellary Parisiensis de Imitatione Christi, & de contemptu omnium vanitatum*

tum mundi: Capitulum primum Qui sequitur me, &c. & sub finem subjungitur: Ioannis Gerson Cancellarij Parisiensis de contemptu mundi libri quatuor, unà cum Tractatu de meditatione cordis, felici numine finiunt. Non est igitur, mi Lector, Codex Genuensis MS, sed impressus, neque valdè antiquus: possum tibi ostendere quatuor impressos multò antiquiores, qui nomen Thomæ à Kempis apertissimè præferunt; primum impressum Augustæ Vindelicorum à Gينthero Zainer, anno, si tardissimè, si inter postremos ipsius labores, anno, inquã, 1475. nã illius anni medio Aprili mortuus est typographus: *a.* alterum, tertiúmque impressum Argentorati anno 1487. & 1489. quartum impressum Norimbergæ anno 1494. Addo quintum, qui vno lustro minor est, quàm iste

Ianu-

a. Vide suprà Testim. 7.

Ianuensis codex, impressum Coloniæ per Martinum de Werdena Anno Dñi 1507. mense Februario. Deinde nō adscribitur Ioanni Gersen Abbati, sed Ioanni Gerson Cancellario Parisiensi. At nonnemo vellicat mihi aurem, & ; lege, inquit, quæ sequuntur, ex tabulis publicis. Lego : *Et mox sequitur manuscripto charactere, vt apparet antiquo: Hunc librum non compilauit Ioannes Gerson, sed D. Ioannes . . .* (punctum, punctum, punctum) *Abbas Vercellensis, vt habetur vsque hodie propriâ manu scriptus in eadem Abbatia.* Hæc Instrumentum, quod exosculor.

Sed quid hoc vestram causam juvat, obsecro? Vidítne Floridus ibi scriptum nomen Ioannis Gersen? non vidit. Quid igitur ad rem? Vidítne illum *Ioannem* . . . tribus punctis quiescere jussum & ignorari, fuisse monachum? Non vidit:

dit: reperiuntur ſcilicet Abbates, qui non ſint monachi. Cur igitur illum Ioannẽ mox cucullo induitis? viditne, illum fuiſſe Italo-Benedictinū? Non vidit. Vtique: cur ergo hominem, cuius nomen, cuius patriam, cuius vitæ genus ignoratis, illico ad vos pertrahitis? Quâ ob rem quid Inſtrumentum vobis & Gerſeni veſtro ignoto, tribúſque punctis expuncto conducat, prorſus non video. Sed ad Caietanum me confero, qui capit. 9. Reſponſionis Apolog. pag. 96. dicit, candidum veritatis amatorem, quicunque is fuit, illa verba ſubjeciſſe antiquo planè charactere: & qui non longè poſt annum 1512. exarari debuit. Si non longè poſt annum 1512. exarari debuit, vno, altero, tertióve pòſt exaratus eſt? Aio. Et exaratus ab eo, qui teſtatur, illum codicem haberi vſque hodie propriâ manu

ſcri-

ſcriptum in eadem Abbatia? Ab eo. Anno igitur poſt ſeſquimilleſimum tertio, quarto, & quinto decimo extabat adhuc propriâ manu ſcriptus codex in Abbatia Vercellenſi? Extabat. Si extabat codex in Abbatia, vtique etiam ipſa extabat Abbatia? Quis dubitet, locum exiſtere debere illius, quod in loco aliquo eſt? Rectè philoſopharis. Iam ego lupum auribus teneo: tribus igitur illis annis, quos pacti ſumus, Abbatia extabat, & non extabat, quæ eſt dulcis contradictio. Extabat, vti dicis: & non extabat, nam eodem anno, nimirum 1512. (recito verba tua, Conſtantine, ex eodē cap. & pag.) in Commendam data Abbatia Vercellenſis S. Stephani, cuius ille Ioannes . . . *ter diſpunctus*, Abbas fuit, mox deſtructa, & in arcē conuerſa fuit, vt Bibliotheca ampliùs non extiterit. Quomodo ergo Ger-

Gersenis autographum habetur, vsque hodie in Abbatia, quæ non est? in Bibliotheca, quæ tum non fuit? Quanquam, vt concedamus vobis aliquid, non per extraordinariam Dei potentiam liber is, qui non sit, custodiri queat diu in Bibliotheca, quæ etiam non sit. Bellè conveniunt, non esse, & nullibi esse.

Hosce quatuor, hoc est nimirũ plures pervetustos MSS. codices cùm recẽsuisset Valgrauius; *Mantuanum* videlicet, in Ioannis Gersenis nomine sibi constare doctum: *Biscianum*, è Germania profugum, vt Italis patriam proderet Itali: *Aronensem insignem*, quo in auctoris referendo nomine nihil flagitiosius: Manuscriptum denique *Ianuensem*, qui impressus sit Venetijs; planè impotens sui; *En tibi, Lector*, exclamat, *tot varios codices MSS. in vnum conspirantes auctorem!*

ctorem! a. Itáne verò tot sunt vobis MSS. codices, quia tres? & tot varij? quod vltrò vobis concedimus. At quo modo *codices varij* in vnum possunt conspirare auctorem? magis è re vestra foret, si vel vnum haberetis codicem, ex quo hæc omnia simul ostenderentur; *De Imitatione Christi libri quatuor, auctore Ioanne Gersen de Cavagliâ, Monacho Benedictino, Abbate Vercellensi S. Stephani.*

Codex Ianuensis è Manuscriptorum pluteis excussus, vbi ad subsellia impressorum se receperit, duos illi fratres ostendam, à Ioanne Zeiner, anno 1487. impressos Vlmæ in Germania, eósque, vt ipse est, Gersonis nomine inscriptos, sed quibus melior verè candidi veritatis amici manus genuinum monstravit parentem, non aliquem Ioannem . . . . cuius cog-

a. in Præmonitione de libell. Imit. Christi. §. 1.

cognomen, cuius patria, cuius institutum vitæ ignoratur, sed Thomam à kempis Canonicum Regularem Ord. S. Augustini.

Codex Cavensis.

Codex MS. Cavensis, ex cœnobio S. Trinitatis apud civitatem Gavam prope Neapolim, ad Anicianam Caietani migravit, in quo quid Sanctes Floridus Notarius Apostolicus viderit, séque vidisse, publicis tabulis attestatur, audiamus. *Vidi, legi, & extraxi particulã alterius libelli, cooperti tabulis ligneis, & corio, etiam manuscripti, pulchro satis antiquo charactere in 16. cui titulus est: In nomine Domini nostri IESV Christi: Incipit libellus de Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatũ mundi. Caput primum. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus, &c.*

nus,&c. Et in medio primæ litteræ Q. visitur effigies monachi cum scapulari monastico, & tonsura capillari parvula iuxta morem Benedictinorum Italicorum, & Crucem manibus amplectentis. Hactenus Instrumentum Anni 1643.

Rectè habet: Notarius vidit effigiē monachi Benedictini. Capio. Sed vellem plura vidisset ibi Notarius. Viditne, monacho illi picto nomen esse Ioanni? Non. Cognomen *Gerseni*? Non. Patriam esse Canabaccum, quod nunc Cavaglia? Non. Viditne, illum Italo-Benedictinum fuisse Abbatem? Non. Vercellensem Abbatiæ S. Stephani? Non. Quid ergo opus fuit conducere oculos Notarij publici, qui Monachum pictum sine nomine & cognomine; hominem natum nulla in patria; Abbatem sine infula & pedo, sine monasterio & monachis, sacrâ juratáque fide

intue-

intueretur? tantundem videret & Tiresias, videlicet *Nihil*. Tum si quis Argus hæc omnia vidisset, & nomen, & patriam, & tiaram, viditne illum ipsum, cuius effigies visitur, fuisse auctorem librorum quatuor de Imitatione Christi? Non. Viditne, & se vidisse testari potest, id sibi constare *ex MS. codice supra trecentos annos exarato*? Cur ergo istud ponitur sub Gersenis effigie, chalcographi cœlo expressa? Si is, qui imagunculam Libro inseruit, sciuit, seu credidit esse effigiem auctoris libelli de Imitatione Christi, cur non posuit ipso libri in limine, quemadmodum Caietanus in *Gersenis* fecit effigie? *a.* Cur non subscripsit Auctoris nomen, cognomē, patriam, dignitatem, vti modò effingitur? Iam cùm non nisi ex Iovis diphthera sciri queat, cur anonymi effigies

a. Edit. Roman. anni 1644.

effigies monachi posita sit *in medio primæ litteræ Q.* tantum probat, quantum si posita fuisset in medio litteræ illius, quæ sequitur apud Latinos litteram *Z.*

Iudicium de his Codicibus.

ORigo totius controversiæ fuit Aronensis codex, qui Bernardino Rosignolio fidem fecit, se ex vetusta Benedictinorum Bibliotheca reliquum, auctorémque habere Abbatẽ ex eadẽ familia sacra. *a.* Caietano plus persuasit sine teste, sine tabulis, esse trinominis *b.* illius Abbatis autographum, vel eo dictante ab amanuensi conscriptum. Tulit plausum hæc vtriusque opinatio apud eos, qui magnis luminibus suis nolunt esse contenti: & codex

G ille

a. apud Posseu. in Appar. Sacro de Thom. Kemp. b. Gesen. Gessen, Gersen, apud Rosvveyd. Vindic. cap. 5.

ille tunc enimvero primus habitus, atque dictus est *insignis*. Verùm insignia illi sua egregius Thomæ vindex Rosweydus ita detraxit, *a*. vt qui primus nuper, Valgravio tertius, *b*. hoc est, inter plures pervetustos MSS. codices haberetur postremus. Haud sanè injuriâ, nam natale ipsius solum non est Arona, neque reliquus fuit è vetusta Bibliotheca monachorum, sed ab hero suo Genuâ exportatus, manúque missus, Aronæ in domicilio Societatis consedit. Accedit, quod familiam ducit, tanta siue auctoris in exarando suo nomine inconstantia, siue oscitantia amanuensis in exscribendo, vt nescias, vtrum ex *Gerson* depravatũ *Gersen*, an blæsum *Gessen*, vel denique balbutientem *Gesen* libri auctorem constituas. Incerto patre natus est hic

a. Vindic. cap. 5. & 18. b. in Præmonit. ad lectorem de lib. Imit.

hic codex, de quo herus ipse nescit, verna sit, an emptitius. Testis in judicio omni exceptione maior sit, necesse est: qualis non est, qui suum nomen, suam patriam, suam conditionē ipse ignorat. Nostrorum codicum singulorum tam MSS. quàm impressorum certum patrem ostendimus, & scimus, vnde sint: Hunc autem nescimus, vnde sit.

Iam excussus erat codex apator, & polyonymus auctor foro cesserat, cùm è monasterio D. Benedicti de Padolirone protractus alius, qui nunc est primus, quia libri calx & caput mirè sibi constant in Ioannis Gersen nomine. Verùm *Nemo est in cognatione tua*, Caietane, *qui vocetur hoc nomine; Ioannes* Gerson *est nomen eius*, quod vel per errorem librarij primùm, vel deinde vitiatum est amore partium. Vsuvenit magno Ioanni Gersoni

Cancellario; quod ferè antiquis magnorum virorum statuis, quæ demonstrant

Et Curios iam dimidios, humerósque minorem
Coruinum, & Galbam auriculis, nasóque carentem. a.

Præposito Diessensi nemo se hac de re adhuc purgauit: itaque ij, qui tacent, vtique non negare videntur. b. Tum etsi codex iste euinceret, Ioannem Gersen esse auctorem suum, non ostendit tamen esse Italum, esse Monachum, esse Benedictinum, esse Abbatem. Exclamavit per hos dies scio quis Choroebus:

Mutemus clypeos, Danaûmque insignia nobis
Aptemus. Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. c. qui dicunt, nos

a. Iuvenal sat. 9. b. Reg. iuris in 6. c. apud Virgil. 2. Æneid.

nos *IoanniGerson* supposuisse quendam *Ioannem Gersen*. Contrà, inquiebat, accidit: ex *Ioanne Gersen* multo antiquiore factum fuisse *Ioannem Gerson*. Verùm tunc vero aliquid simile dixisse hic videbitur, vbi primùm, quemadmodum toti orbi constat, fuisse Cancellarium Parisiensem, cui nomen erat *Ioanni Gerson*, ita ipse orbi testatissimum fecerit, fuisse quendam hominem, cui nomen fuit *IoanniGersen*. Deinde si ostenderit vnum aliquod exemplar, Ioannis Gersen Abbatis Italo-Benedictini nomine insignitum; & cui ea annorum nota sit apposita, vt ratione temporis Ioanni Gersoni Cancellario Parisiensi tribui nequaquã possit. Vbi tamen nolim produci Codicem illũ, ex quo D. Bonaventura caput vltimum libri primi magnã partem exscripsisse creditur; nam tametsi Bonaventura foret

auctor illarũ Collationum, tamen haud magis Ioannes Gersen, cuius non meminit, quàm quivis alius probatur esse auctor *deuoti libelli de Imitatione Christi.*

Codex Biscianus, nunc Leo-Allatianus minus nihilo probat: nam nescis, vtrùm *Ioannes Gersen*, & *Ioannes de Canabacco* sit vnus, vel duo diuersi homines. An cognomen ferat de *Canabacco*, vt Iacobus de *Voragine*, *a.* Ioannes de *Indagine*, *b.* Cornelius à *Lapide*, vel an dictus ita sit à patria. Quòd si à patria, nescis, vtrùm *Canabaccum* antiquum hodierna sit *Cavaglia*. Vtrùm familiæ *Gesen*, & *Gessen*, & *Gersen*, & *Garse*, & *Garson* consanguineæ sint, ij disquirant, quibus curæ est, *intendere fabulis, & genealogijs interminatis*, 1. Timoth. 1. v. 4. & quibus curæ non est, *stultas quæstio-*

a. Archiep. Genuensis. b. dictus Hagen *Carthus.*

stiones & genealogias deuitare. Tit. 3. 9. Quod si quis tentaverit, non æquabit tamen Iudæorum admirandam memoriam, qui, teste D. Hieronymo, ab exordio Adami vsque ad Zorobabelem, omnium generationes ita memoriter, velocitérque percurrebant, ac si nomen suum referrent.

Codex Ianuensis miror quòd ausit in judicium venire: est liber impressus, & Ioanni Gersoni Cancellario Parisiensi tributus. Scriptura subjecta, per Deum immortalem! quid pro Gersene facit? *Hunc librum non compilauit Ioannes Gerson, sed D. Ioannes* . . . Quis ille Ioannes? innominatus, expunctus, obelo confixus, & asterisco suo in Cimmerias tenebras extrusus? *Illi cùm semel excidit brevis vox. Vox est perpetuò illa nescienda.*

Nihilo melior est Cavensis codex, qui in medio primæ litteræ Q.

pictam repræsentat imaginem Benedictini monachi. Quod nomen est illi monacho? quod cognomē? quæ dignitas? quæ patria? Nec Oedip⁹ ista aperiat Sphingi. Quid igitur imago hæc causæ patrocinatur Gersenianæ? Aperui nuper forte fortuna librum vernaculâ scriptum, ante annos tres vulgatum typis, cui bibliopegus, domini voluntate, inseruit locis varijs imagines S. Iosephi, Deiparæ Virginis è quercu Foyensi Oenipontanæ in templo Societatis IESV, Parabolam ex vita Barlaam & Iosaphat æri incisam, S. Ignatij, B. Aloysij, B. Stanislai Kostkæ, cum pluribus alijs. Iam si quis dicat, Statuam B. V. Foyensis, S. Iosephum gente Iudæum, Ioannem Damascenum Græcum, Ignatium Hispanum, Aloysium Italum, Stanislaum Polonum, esse auctores huius libri Germanici, quia ipsorum

rum imagines illi sunt insertæ, nónne hunc omnes effusissimè ridebunt? num imago illius non nisi ab habitu noscendi monachi, meliore sita est loco in codice Cavensi? Atque hæc de Codicibus Antikempensium, qui supponunt semper, quod probandũ est. Supponunt fuisse aliquem hominem, cui nomen fuerit *Ioannis Gersen*? negamus. Vixisse circa Annum Dñi 1220, negamus. Natum Canabacci: negamus. Creatum Abbatem Vercellis: negamus. Nam quo auctore, qui sit omni exceptione maior, istorum vel vnicum dicunt? Quis ante Rossignolium deceptum, & ante Caietanũ *Vindicem Benedictinum*, à quadringentis & ampliùs annis vnquam meminit Ioannis Gersenis? quantæ incusandus esset (sit venia verbo) ignaviæ vniuersus Sanctissimus Ordo Benedictinorum, quòd, vt ma-

maximos alios dedit Ecclesiæ scriptores, corúmque memoriã nunquam intermori passus est, auctorem celeberrimi, & verè diuini libelli, quatuor sæculorũ obliuioni tradiderit, donec ex infido Aronensi codice dubitare, atque opinari cæperit Rosignolius, qui tamẽ nullis viribus edocere queat, vtrùm potiùs Ioannem *Gesen*, vel *Gessen*, vel *Gersen* in ædibus intromittat. Codex Mantuanus suppetias *Gerseni* fert adulterinas, subtractas *Ioanni Gersoni* Cancellario. Canabaccum non vnum Penthea, vel Absyrtum in sparsa membra, sed vnum *Gersen* in plures homines distrahit. Codex Ianuensis dum *Ioannem* . . . Abbatem Vercellensem Gersoni substituit, Gersenem de possessione, si quam per librum Aronensem & Mantuanũ adijt, denuò deijcit. Consulantur fasti Vercellenses, vtrùm Ioannis

Ger-

Gersenis Abbatis nomen in litteras missum sit? Ad postremũ Cavensis codex *in imagine pertransit*. Psalm. 38. 7.

Quam obrem, cùm singuli codices nihil, seu parùm probent, omnes simul haud multo plus probare possunt. Nihil probat judicioso *Imaginatio* ex Cavensi. Nihil probat Ianuensis, qui verum auctorem nominare nescit. Nihil probat Leo-Allatianus, qui alium supponit auctorem. Parùm probat Mantuanus, quia vitiatus: parùm Aronensis, quia inconstantissimus. Neque igitur omnes collatis viribus id efficere queunt, vt *Ioannes Gersen* de Canabacco, monachus Ordinis S. Benedicti, Abbas Vercellensis S. Stephani credatur auctor librorum de *Imitatione Christi*. Sit igitur oculis tuis, Lector subjecta

Anacephalæosis.

QVam D. Constantini Caietani breui, & solidæ Demonstrationi Nominis, Cognominis, Patriæ, ac Professionis, Germani auctoris librorum quatuor de Imitatione Christi, opponimus.

I. *Ioannes.*] Rectè ais, hoc fuit nomen Gersoni Cancellario Parisiensi. Versus epitaphij docet Lugdunensi in marmore:

Magnum parua tenet virtutibus
vrna Ioannem.

II. *Gersen.*] Bis sic appellat codex Mantuanus, semel Aronensis. At in eodem Aronensi ter appellatur *Gesen*, semel *Gessen*: cur præfertur *Gersen*, numero minor? Disce, inquies, ex sequentibus verbis; *cum editionibus quibusque vetustissimis Ioanni Gersoni inscriptis.* Dicere vult Abbas, quoties inscriptum

ptum fuit opus Ioanni Gersoni, inscribendū fuisse fictitio suo Gerseni. Hîc autem priùs est probandum, aliquem hoc nomine hominem vnquam in orbe extitisse. Interea nos pergimus asseuerare, quoties modò legitur Ioannes Gersen, toties scriptum, aut scribendum fuisse *Ioannem Gerson, Gerson, Gerson.*

III. *De Canabacco, vulgò Cavaglia.*] Ista sunt duo diuersa loca, donec probetur esse vnus locus. Garzoniorum & Gersenum sunt duæ diuersæ familiæ, donec probetur esse vna. Et quid opus multis? de Ioanne Gersene, qui nunquam fuit, credis vtique, erudite Lector, etiam nullibi fuisse. Et vt fuerit sanè aliquis Ioannes de Canabacco, fuit is alius à Ioanne Gersen, donec probentur hi duo fuisse vnus.

IV. *Abbas.*] E codice Aronensi

Gersen

Gersen est Abbas, *solo nomine.* Ianuensis aliquem Ioannem . . . *sine cognomine* creat Abbatem Vercellensem Abbatiæ itidem innominatæ, sed non Ioannem Gersen, neque Abbatem S. Stephani. Per quam igitur plusquàm Poëticam licentiam quidam *Ioannes* . . . sine nomine, atque alius Abbas *solo nomine* repentè fulget tiarâ S. Stephani Vercellis? & quidem Ioannes Gersen?

V. *Ordinis S. Benedicti.*] Quasi verò nulli alij sint Abbates, quàm Benedictini? Codex autẽ Cauensis in prima littera Q. spectandam præbet imaginem monachi Benedictini. Quid tum? Ergo ille monachus fuit Abbas? ille Abbas fuit Vercellensis S. Stephani? ille Vercellensis dictus est Ioannes Gersen? ille Gersen fuit auctor diuini libelli de Imitatione Christi? Hæc ad non solidam, & insolitam Demon-

monstrationem dicta sufficiunto. Nunc ad eos codices accedamus, ex quibus Caietano Ioannes Cellensis, *plurimis* ipsi *nominibus spectatissimus & doctissimus vir*, qui suo labore cùm ipsi, tum *Veritati velitatus est*, *palmare argumentum suggessit.*

§. 2.

De Codicibus Anonymis, sed non Achronis.

Et quis sanâ mente negabit, (exclamat F. Ioannes Cellensis in Epistola ad Abbatem Caietanum) *huncTractatum de Reformatione hominis, Qui sequitur me, venisse ad Monasterium Mellicense ex sacro Specu, cum Patribus Reformatoribus Ordinis S. Benedicti, quæ contigit anno 1418. cùm in hoc solo Monasterio reperiantur exemplaria MSS. numero viginti duo, cum vno impresso?* Feruenter, me hercule! Ex-

Expectandum, donec subsidat animus. Vbi ad se redierit Cellensis, Sac. Theol. Doctor, resumam argumentum, cuius vis in eo consistit: In solo monasterio Mellicensi reperiuntur viginti tria exemplaria; *Concedo Antecedens*. Ergo libellus de Imitatione Christi ex Italia à PP. Reformatoribus allatus est anno 1418. *Nego consequentiam. Quis sanâ mente negabit?* Ego, & omnes sanâ mente negant. Istud non est supponendum, vt faciunt Adversarij, sed probandũ in hunc ferè modum. Primùm in medium proferendus codex ille venerandę canitiei: tum quoniam oculati testes citari nequeunt, afferendæ tabulæ fidæ & antiquæ, aut vbi hæ deficiunt; Traditio inde vsque ad nos deducta asseverare debet, hunc codicem ab illis PP. Reformatoribus, ad hoc monasterium Mellicense, illo anno Christi 1418, allatum

tum eſſe ex ſacro Specu. Quoniam verò de Traditione nihil ſcitur, Tabulæ certæ non proferuntur, illa exclamatio; *Quis ſanâ mente negabit* ? cordato nihil probat. Hoc itaque codice in ſpecu ſuo relicto, inſpiciamus cæteros, ſervato temporis ordine, quo quiſque ſcriptus fuerit, non equidem omnes, ſed eos duntaxat, qui contra Kempenſem facerent plurimùm, niſi niterentur falſo. Sunt autem iſti:

Codex Mellicenſis ſcriptus Anno 1421.
Ochſenhuſanus, Anno 1427.
VViblingenſis, Anno 1430.
Duo VVeingartenſes, Anno 1433. & 1434.
Duo alij Mellicenſes, Anno 1435. & 1440.

Hîc inſultant Thomæ à Kempis adverſarij, &; Si autographum, inquiunt, anno primùm 1441. ſcriptum, id eſt, natum & compoſitum fuit, quomodo is eſt auctor libri vno priùs anno, imò ante annos

annos ſex, ſeptem, octo, vndecim, quatuordecim, viginti. in varijs locis deſcripti? Non igitur Thomas auctor eſt libelli de Imitat. Chriſti, ſed exſcriptor tantùm; & Apographus Thomæ Kempenſis, *quem auctoris Autographum ineptiùs aſſerunt Belgæ*, inquit Caietanus. *a*. noſtrorum MSS. Codicum vetuſtate exſibilatur.

Bene concluderent Adverſarij, ſi vera eſſet hypotheſis; verùm negatur illud, quòd Autographum Antuerpienſe primò compoſitum fuerit anno 1441. ſcriptum fuit eo anno ab auctore ſuo Thoma de Kempis, qui multis annis antè compoſuit, adeóque eſt illius quidem autographum, quia ipſe ſuâ manu ſcripſit; eſt quoque apographum, quia ſuum libellum ſuâ manu deſcripſit; non tamen eſt ipſius protographum, quod primò omni-

a. in appar. ad Gerſenem fol. 5.

omniũ fuerit ab auctore ſuo compoſitum, atque in lucem prodierit. Vnde duo hîc peccat Caietanus: Primò, cur exemplar Antuerpienſe, rurſus deſcriptum ab auctore ſuo Anno Christi 1441. *eſſe auctoris autographum ineptiùs aſſerunt Belgæ?* Quid eſt autographũ, niſi id, quod quis ipſe ſuâ manu ſcripſit? ſiue primùm, ſiue ſecundùm, ſiue decimùm ſcribat, hoc quid refert? an ipſe non ſcripſit? Belgæ aſſerunt, exemplar, quod Antuerpiæ ſeruatur, eſſe à Thoma Kempenſi deſcriptum, adeoque eſſe ipſius autographum, num id *ineptè?* Deinde, cur accipit *autographum* pro *archetypo*, ſeu Protographo? At quinam Belgæ *ineptiùs* aſſeruerunt, illud *Autographum* eſſe etiam *Protographũ* Thomæ à Kempis? Non Sommalius: non Roſweydus: non Bollandus: nemo, niſi fortaſſis *Frater Ioannes Cellenſis*

nobi-

nobilis Belga, vt illum nominat Claudius à Sorina. Cùm igitur autographũ Antuerpiense non sit *Protographum* Thomæ, siue *archetypon*, sed aliud, quod nos latet, aut temporum injuriâ perijt, nihil officiunt omnes illi producti codices; nam exaratus est annosissimus iste codex vester

Mellicensis Anno Christi 1421. hoc est, anno ætatis Thomæ Kempensis.		41.
Ochsenhusanus.	1427. - - -	48.
VViblingensis.	1430. - - -	51.
VVeingartensis.	1433. - - -	54.
Alius ibidem.	1434. - - -	55.
Mellicensis alter.	1435. - - -	56.
Mellicensis tertius.	1440. - -	61.

Et per ætatem non potuerit Thomas à Kempis auctor esse libri de *Imitatione Christi*? Hîc exclamet Ioannes Cellensis; *Et quis sanâ mente negabit?* Nemo sanè, nemo: Et ex gravissimis historicis constat, libellũ de Imitatione Christi circa annum 1410, iam conscriptum, &

& vulgatum fuiſſe. Vnde ſic ratiocinando, Partem primam concludo; Ille eſt conſtituendus auctor librorum de Imitatione Chriſti, qui ſcribere libros illos potuit per ætatem, & à quo ſcriptos fuiſſe libros illos, tot ſinceri tum vetuſti, tum recentiores codices; tot idem inſignes teſtantur viri: Sed Thomas à Kempis ſcribere libros illos per ætatem potuit, vt qui natus eſt anno 1379. & ab eo ſcriptos fuiſſe, atteſtantur tot vetuſti & recentes codices, vt huc vſque demonſtratum eſt: & aſſeuerant prætereà tot egregij Viri, coætanei, vicini, familiares, ſuppares, minores natu ad noſtram vſque ætatem, vt Parte altera demonſtrabitur. Ergo Thomas à Kempis Can. Reg. Ord. S. Auguſtini dicendus eſt auctor aurei & divini libelli de Imitatione Chriſti. Porrò de poſſeſſione antiqua nemo debet depelli, niſi euiden-

denter convictus. Sed Thomam à Kempis, qui à ducentis, & amplius annis habitus est auctor libelli de Imitatione Christi, non esse germanũ auctorem, sed incognitum, & à nullo scriptore per quadringentos annos nominatum *Ioannem Gersen*, tantùm abest, vt à Caietano evidenter, vt ne probabiliter quidem demonstratum sit. Thomas igitur Kempensis non est depellendus de sua tam antiqua possessione compositi à se libelli de *Imitatione Christi*.

Quo tempore absolutus fuerit ab auctore suo, dici certò non potest, mihi tamen clarum videtur, circa annum 1410. librũ primum, secundum, ac tertium iam perfectos fuisse, quartũ accessisse tunc, cùm Thomas initiatus est sacerdotio. Rem ex eo conijcio, quòd istorum librorum præcepta fluxerunt à Florentio, qui fuit *omnium*

DE-

DEVOTORVM (peculiari hoc nomine quidam dicebantur, auctore Gerardo Magno, vt habet Chronicon Montis S. Agnetis) *a. Pater Amandus: b. prædilectus omnium DEVOTORVM pater. c.* Audi ipsummet Thomam à Kempis: *Quidam DEVOTI verba ab ipso dicta scripserunt in tabulis & libellis. d.* Inter quos non postremus certè fuit ille ipse Thomas; qui, quæ in adversaria sua tumultuariò coniecerat, per sexennale tirocinium in monte D. Agnetis exactũ, seligere, & in pios libellos cogere cœpit: quos ijsdem DEVOTIS fuisse nuncupatos, vetustissimę quædam inscriptiones docent in hęc verba; *Incipit libellus consolatorius ad instructionem Deuotorum.* Porrò circa illa tempora composuisse, testantur grauissimi auctores, qui in scriptorum

a. De extraneis cap. 5, b. cap. 7. c. cap. 11. d. eod. cap. 11.

rum Ecclesiasticorum ætatem inquisiuerunt. Iacob9 Philippus Bergomensis in Supplemento Chron. Thomæ auctori librorum *de Imitatione Christi* assignat annum 1406. Guilielmus Eysengreinius in *Catalogo Testium veritatis* refert hunc scriptorem ad annũ Christi 1407. Cur, si nihil eo anno scripsit? Sebastian9 Verronius in *Chronicis Ecclesiæ lib. 8. cap. 36.* collocat intra annum 1400. & 1410. Num bene, si intra hoc decennium nihil ab eo scriptum? Ioan. Trithemius *lib. de Script. Eccles.* item *lib. de Viris illustr. Germaniæ*; Benedictus Vernierus *lib. de SS. Euchar.* 1410. inclaruisse dicunt, vnde nisi à libris iam tum scriptis? & quidem illis, quos Seniores Seniorũ Trithemij legerunt, *De Imit. Christi*? Henr. Spondanus *in auctario*, Iacobus Gordonus *Oper. Chronol. t. 2.* annũ illi assignãt 1412. Taceo reliquos, quia septẽ isti sapientes sufficiunt.

Dio-

Dioptræ Kempensis, PARS II.

Auctoritate, judicio, & consensu Virorum grauissimorum.

STrenuè pro filio suo depugnat D. Augustinus, dũ libro 33. contra Faustum cap.6. rationem nos edocet dignoscendi, cuius auctoris quisque liber sit dicendus. *Hos libros*, ait, *vnde constat esse Hippocratis? vnde, si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur? nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore vsque ad hoc tempus, & deinceps, successionis series commendauit, vt hinc dubitare dementis sit. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorúmque eiusmodi auctorum libros vnde nouerunt homines, quòd ipsorum sint, nisi eâdem temporum sibi succedentium contestatione continuâ?*

Vnde constat, quid cuius sit? nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit quibus potuit, insinuauit, atque edidit, & inde in alios atque alios continuatâ notitiâ, latiúsque firmatâ ad posteros, etiam vsque ad nostra tempora peruenerunt, ita vt interrogati cuius quisque liber sit, non hæsitemus, quid respondere debeamus. Hactenus Augustinus.

Hos itaque libros de Imitatione Christi, vnde constat esse Thomæ à Kempis Canonici Regularis? vnde, si quis neget esse ipsius, non refellendus, sed ridendus est, nisi quia sic eos ab ipso Thomæ Kempensis tempore, vsque ad hoc tempus successionis series commendauit? vt hinc dubitare si dementis sit, quid erit oppugnare? Hosce libros de Imitatione Christi, vnde nouerunt homines, quòd Thomæ à Kempis sint, nisi quia illi, qui cum eo vixerunt, ipsius esse sciuerunt,

runt, & notitiam ſuam ad longè etiã pòſt futuros continuatis poſterorum ſucceſſionibus traiecerunt? Sit igitur Teſtis primus, contemporaneus, oculatus, & auritus, cui parem proferre Gerſeniani nullum poſſunt; quis enim vixit cum eo, qui nunquam vixit?

I.

Ioannes Buſchius, Can. Reg. Ord. S. Auguſtini.

ANno partæ ſalutis 1464. A. D. 1464.
Chronico ſuo Windeshemenſi coronidẽ impoſuit: vbi libro ſecundo, qui eſt de Viris illuſtribus illius aſceterij, capite verò 21. de morte Ioannis ab Hueſden agit, qui diẽ ſuum obijt anno 1424. libros *de Imitatione Chriſti* compoſitos à Thoma Kempenſi fuiſſe, diſertiſſimis hiſce verbis atteſtatur.

Contigit ante paucos dies sui obitûs, vt duo fratres notabiles de monte S. Agnetis, prope Suvollis, Ordinis nostri, dictum Priorem nostrum sub certis rebus consulturi, in VVindesem aduenirent. Quorum vnus frater Thomas de Kempis, vir probatæ vitæ, qui plures deuotos libros composuit, videlicet; Qui sequitur me, de Imitatione Christi, cum alijs, nocte insecutâ somnium vidit, præsagum futurorũ &c.

Fuit Ioannes Buschius Thomæ coævus: absoluit, vt dixi, Chronicon suum anno 1464. superstite adhuc Thoma: vixit in monasterio vicinissimo, quod vnico milliari à Monte S. Agnetis distabat, vt vno die sæpius hinc & inde commeare potuerint Religiosi: dicit in Prologo, ea se scripturum, quæ vidit, quæ à maioribus suis accepit, quæque diuinitus inspirata ei sunt, vt consignaret: vt adeo res sint testatissimæ, quæ in anna-

annales ab eo sunt relatæ: Et quenquam fuisse repertũ, qui scriptorem synchronum, vicinum, familiarem argueret erroris, hausti ab incerta fama? Buschius scripsit, quæ vidit: Vidit igitur libros quatuor de Imitatione: scripsit, quæ à Viris Religiosissimis audiuit: audiuit igitur vel ab ipsomet Thoma, vel à Canonicis cæteris eiusdem Monasterij, quis esset auctor illorum librorum. Hæc, quæ vidit ipse, quæ ab alijs fide dignis accepit, in annales retulit, & errauerit? Obsecro te, Caietane, vter errori magis obnoxius est, Buschius coæuus, vicinus, familiaris; an tu, ducentis ampliùs annis posterior? Neque dicas, de certis multorum librorum auctoribus etiam eruditissimos homines ad hæc vsque tempora delusos fuisse. Delusi fuerunt multi, non inficias imus: & error tali tandem detectus est

testimonio, quale est Ioannis Buschij pro Thoma Kempensi, hoc est, antiquissimo, scriptoris alicuius coævi, vicini, familiaris, aut alijs denique certis argumentis. Tum nos Buschium valere jubebimus, vbi tu scriptoris, qui Thomæ à Kempis ævo vixit, eidémque familiaris fuit, protuleris tabulas, hosce libros verbis disertis ei abjudicantis. Interim ex ipso Thoma Kempensi tibi ostendo, illum esse auctorem libelli *de Imitatione Christi*. Scripsit, vt nosti, Chronicon monasterij sui, Montis S. Agnetis: capite 19. somnij præsagum mortis Ioannis ab Huesden narrat ijs verbis, vt nemo non videat, vel Thomam ex Chronico Buschij in suum S. Agnetis, vel Buschium ex Chronico Thomæ in suũ Windeshemense transtulisse. Omisit Thomas solummodo ea, quæ ad sui commendationem specta-

cta-

ctabant, vt quòd ſit *notabilis frater*, quòd *plures libros compoſuerit*; idque præ humilitate. Cæterùm ſi is auctor illorum librorum non eſſet, Buſchius ea verba non appoſuiſſet, aut Thomas certo certiùs illa ex Buſchij Chronico diſpunxiſſet, ne poſteritas crederet, eos *compoſuiſſe* libros, quos deſcripſiſſet tantùm: quia verò non oblitterauit, fatetur ſe eſſe auctorem librorum de Imitatione Chriſti.

Hîc Caietanus negat eſſe Buſchij verba illa, quæ Thomam libri *de Imitatione Chriſti* auctorem faciunt: ab alia manu fuiſſe inſerta: aut à margine libri in textum inſiluiſſe. Provocauit Roſweydus, & inuitauit ad librum ſuum eâ ipsâ ætate auctoris ſcriptum, in quo nullum marginale, nihil addiditium apparet: & plura dicit eſſe in Belgio talia exemplaria, quæ, vbi opus fuerit, teſtimonium

denter conuictus. Sed Thomam à Kempis, qui à ducentis, & ampliùs annis habitus est auctor libelli de Imitatione Christi, non esse germanũ auctorem, sed incognitum, & à nullo scriptore per quadringentos annos nominatum *Ioannem Gersen*, tantùm abest, vt à Caietano euidenter, vt ne probabiliter quidem demonstratum sit. Thomas igitur Kempensis non est depellendus de sua tam antiqua possessione compositi à se libelli de *Imitatione Christi*.

Quo tempore absolutus fuerit ab auctore suo, dici certò non potest, mihi tamen clarum videtur, circa annum 1410. librũ primum, secundum, ac tertium iam perfectos fuisse, quartũ accessisse tunc, cùm Thomas initiatus est sacerdotio. Rem ex eo conijcio, quòd istorum librorum præcepta fluxerunt à Florentio, qui fuit *omnium*

DE-

DEVOTORVM (peculiari hoc nomine quidam dicebantur, auctore Gerardo Magno, vt habet Chronicon Montis S. Agnetis) *a.* *Pater Amandus*: *b.* *prædilectus omnium DEVOTORVM pater.* *c.* Audi ipsummet Thomam à Kempis: *Quidam DEVOTI verba ab ipso dicta scripserunt in tabulis & libellis.* *d.* Inter quos non postremus certè fuit ille ipse Thomas; qui, quæ in adversaria sua tumultuariò coniecerat, per sexennale tirocinium in monte D. Agnetis exactũ, seligere, & in pios libellos cogere cępit: quos ijsdem DEVOTIS fuisse nuncupatos, vetustissimę quædam inscriptiones docent in hęc verba; *Incipit libellus consolatorius ad instructionem Deuotorum.* Porrò circa illa tempora composuisse, testantur grauissimi auctores, qui in scriptorum

a. De extraneis cap. 5. *b.* cap. 7. *c.* cap. 11. *d.* eod. cap. 11.

rum Ecclesiasticorum ætatem inquisiuerunt. Iacobus Philippus Bergomensis in Supplemento Chron. Thomæ auctori librorum *de Imitatione Christi* assignat annum 1406. Guilielmus Eysengreinius in *Catalogo Testium veritatis* refert hunc scriptorem ad annũ Christi 1407. Cur, si nihil eo anno scripsit? Sebastianus Verronius in *Chronicis Ecclesiæ lib. 8. cap. 36.* collocat intra annum 1400. & 1410. Num bene, si intra hoc decennium nihil ab eo scriptum? Ioan. Trithemius *lib. de Script. Eccles.* item *lib. de Viris illustr. Germaniæ*; Benedictus Vernierus *lib. de SS. Euchar.* 1410. inclaruisse dicunt, vnde nisi à libris iam tum scriptis? & quidem illis, quos Seniores Seniorũ Trithemij legerunt, *De Imit. Christi*? Henr. Spondanus *in Auctario*, Iacobus Gordonus *Oper. Chronol. t. 2.* annũ illi assignãt 1412. Taceo reliquos, quia septẽ isti sapientes sufficiunt.

Dio-

Dioptræ Kempenſis, PARS II.

Auctoritate, judicio, & conſenſu Virorum grauiſſimorum.

STrenuè pro filio ſuo depugnat D. Auguſtinus, dū libro 33. contra Fauſtum cap. 6. rationem nos edocet dignoſcendi, cuius auctoris quiſque liber ſit dicendus. *Hos libros*, ait, *vnde conſtat eſſe Hippocratis? vnde, ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur? niſi quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore vſque ad hoc tempus, & deinceps, ſucceſſionis ſeries commendauit, vt hinc dubitare dementis ſit. Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorúmque eiuſmodi auctorum libros vnde nouerunt homines, quòd ipſorum ſint, niſi eâdem temporum ſibi ſuccedentium conteſtatione continuâ?*

Vnde constat, quid cuius sit? nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuauit, atque edidit, & inde in alios atque alios continuatâ notitiâ, latiúsque firmatâ ad posteros, etiam vsque ad nostra tempora peruenerunt, ita vt interrogati cuius quisque liber sit, non hæsitemus, quid respondere debeamus. Hactenus Augustinus.

Hos itaque libros de Imitatione Christi, vnde constat esse Thomæ à Kempis Canonici Regularis? vnde, si quis neget esse ipsius, non refellendus, sed ridendus est; nisi quia sic eos ab ipso Thomæ Kempensis tempore, vsque ad hoc tempus successionis series commendauit? vt hinc dubitare si dementis sit, quid erit oppugnare? Hosce libros de Imitatione Christi, vnde nouerunt homines, quòd Thomæ à Kempis sint, nisi quia illi, qui cum eo vixerunt, ipsius esse sciuerunt,

runt, & notitiam ſuam ad longè etiã pòſt futuros continuatis poſterorum ſucceſſionibus traiecerunt? Sit igitur Teſtis primus, contemporaneus, oculatus, & auritus, cui parem proferre Gerſeniani nullum poſſunt; quis enim vixit cum eo, qui nunquam vixit?

I.

Ioannes Buſchius, Can. Reg. Ord. S. Auguſtini.

ANno partæ ſalutis 1464. Chronico ſuo Windeshemenſi coronidẽ impoſuit: vbi libro ſecundo, qui eſt de Viris illuſtribus illius aſceterij, capite verò 21. de morte Ioannis ab Hueſden agit, qui diẽ ſuum obijt anno 1424. libros *de Imitatione Chriſti* compoſitos à Thoma Kempenſi fuiſſe, diſertiſſimis hiſce verbis atteſtatur. A. D. 1464.

Contigit ante paucos dies sui obitūs, vt duo fratres notabiles de monte S. Agnetis, prope Svvollis, Ordinis nostri, dictum Priorem nostrum sub certis rebus consulturi, in VVindesem aduenirent. Quorum vnus frater Thomas de Kempis, vir probatæ vitæ, qui plures deuotos libros composuit, videlicet; Qui sequitur me, de Imitatione Christi, cum alijs, nocte insecutâ somnium vidit, præsagum futurorū &c.

Fuit Ioannes Buschius Thomæ coævus: absoluit, vt dixi, Chronicon suum anno 1464. superstite adhuc Thoma: vixit in monasterio vicinissimo, quod vnico milliari à Monte S. Agnetis distabat, vt vno die sæpius hinc & inde commeare potuerint Religiosi: dicit in Prologo, ea se scripturum, quæ vidit, quæ à maioribus suis accepit, quæque diuinitus inspirata ei sunt, vt consignaret: vt adeo res sint testatissimæ, quæ in anna-

annales ab eo sunt relatæ: Et quenquam fuisse repertũ, qui scriptorem synchronum, vicinum, familiarem argueret erroris, hausti ab incerta fama? Buschius scripsit, quæ vidit: Vidit igitur libros quatuor de Imitatione: scripsit, quæ à Viris Religiosissimis audiuit: audiuit igitur vel ab ipsomet Thoma, vel à Canonicis cæteris eiusdem Monasterij, quis esset auctor illorum librorum. Hæc, quæ vidit ipse, quæ ab alijs fide dignis accepit, in annales retulit, & errauerit? Obsecro te, Caietane, vter errori magis obnoxius est, Buschius coæuus, vicinus, familiaris; an tu, ducentis ampliùs annis posterior? Neque dicas, de certis multorum librorum auctoribus etiam eruditissimos homines ad hæc vsque tempora delusos fuisse. Delusi fuerunt multi, non inficias imus: & error tali tandem detectus est

testimonio, quale est Ioannis Buschij pro Thoma Kempensi, hoc est, antiquissimo, scriptoris alicuius coævi, vicini, familiaris, aut alijs denique certis argumentis. Tum nos Buschium valere iubebimus, vbi tu scriptoris, qui Thomæ à Kempis ævo vixit, eidémque familiaris fuit, protuleris tabulas, hosce libros verbis disertis ei abiudicantis. Interim ex ipso Thoma Kempensi tibi ostendo, illum esse auctorem libelli *de Imitatione Christi*. Scripsit, vt nosti, Chronicon monasterij sui, Montis S. Agnetis: capite 19. somnisi præsagum mortis Ioannis ab Huesden narrat ijs verbis, vt nemo non videat, vel Thomam ex Chronico Buschij in suum S. Agnetis, vel Buschium ex Chronico Thomæ in suũ Windeshemense transtulisse. Omisit Thomas solummodo ea, quæ ad sui commendationem specta-

cta-

ctabant, vt quòd sit *notabilis frater*, quòd *plures libros composuerit*; idque præ humilitate. Cæterùm si is auctor illorum librorum non esset, Buschius ea verba non apposuisset, aut Thomas certo certiùs illa ex Buschij Chronico dispunxisset, ne posteritas crederet, eos *composuisse* libros, quos descripsisset tantùm: quia verò non oblitterauit, fatetur se esse auctorem librorum de Imitatione Christi.

Hîc Caietanus negat esse Buschij verba illa, quæ Thomam libri *de Imitatione Christi* auctorem faciunt: ab alia manu fuisse inserta: aut à margine libri in textum insiluisse. Provocauit Rosweydus, & inuitauit ad librum suum eâ ipsâ ætate auctoris scriptum, in quo nullum marginale, nihil addiditium apparet: & plura dicit esse in Belgio talia exemplaria, quæ, vbi opus fuerit, testimonium

 dicent.

dicente. Vbi proinde Caietanus parenthesin illam suppositiam, & intrusam esse non persuadet, ordinem totius dictionis infamat, ac primò quidem dum Rosweydum petit, se frustra suis fatigat cæstibus; libros appellari *de Imitatione Christi*, contrà quàm Vindex Kempensis velit, & auctor ipse nuncupauerit. Gratis ista dicuntur: Rosweydus, quia scopum singulorum librorum spectauit auctor, dicit, nullum eorum inscriptum fuisse *de Imitatione Christi*, sed singulos aliter atque aliter fuisse appellatos, vt Primum; *Admonitiones ad spiritualem vitam vtiles*: Secundum; *Admonitiones ad interna trahentes*: Tertium; *De interna consolatione*: Quartum; *De Sacramento.* Buschius sermone publici saporis delectatus, libri primi decerpsit initiũ, & à cap. 1. toti Operi nomen fecit, vt nunc quo-

quoque solemus. Flander non aliter nominat, quàm librum *Qui sequitur me*. Deinde; Quid illud, inquit, quòd cùm duo fuerint *notabiles* fratres, vnus Thomas tam affectatis, & extra rei propositum effusis verbis extollitur, alter tam ignobili silentio præteritur? In promptu causa est: Thomas à Kempis, quia nocte insecutâ somniū vidit præsagum futurorum, altero, qui non vidit, fuit *notabilior*. Accedit, quòd Thomas à libris compluribus, præcipuè verò ab opusculo *de Imitatione Christi* inclaruerit: quid igitur mirum, si viri, quamvis æquè religiosi, visum tamen non experti, & fortassis non admodum docti, mentio nulla fieret? Illi erant laudandi, de quibus instituebatur panegyris: erant autem isti duo, Thomas à Kempis, & Ioannes ab Huesden, quorum ille per nocturnam spe-

ciem vidit, hunc brevi ad ſuperos evolaturum. Opponit denuo Caietanus, plures cùm ſcripſerit libros Kempenſis excellentis doctrinæ, pietatis eximiæ, ſummæque notę, cur illis pari ſilentio prętermiſſis, ſolius meminerit *de Imitatione Chriſti*, non eâ tum famâ, vt ſic mereretur laudari? Itáne verò credis, libros *de Imitatione Chriſti*, vt labente æuo facti ſunt in vulgus notiores, etiam factos eſſe meliores? ſemper habiti fuerunt librorum ab ipſo compoſitorum præſtantiſſimi: non igitur vitio dandum Buſchio, vero illorum æſtimatori, mentionem præ reliquis feciſſe, ac dilaudaſſe. Cætera, quæ toto capite decimo Apologiæ Conſtantinus perorat, omnia in illam argumentandi rationem incumbunt; Potuiſſe Buſchium errare, quia tot alij in alijs auctoribus deſignandis aberrarunt;

runt : erraſſe igitur etiam illum in aſſerendo Thoma auctore libelli *de Imitatione Chriſti*. Verto telum, & ; Potuit, inquam, Caietanus errare : ergo erravit in ſuo planè fictitio Gerſene, quem nullo efficaci argumento oſtendere poteſt, aliquando vixiſſe, vt cuius nemo vnquam meminit. Nequicquam igitur Buſchius damnatur erroris, quem ſanè referret è teſtium choro eliminaſſe. Stet ſuo ille loco, donec planum fecerit Conſtantinus, quid factum ſit, non quid fieri potuerit.

II.

Matthias Farinator, Ordinis B. M. V. de monte Carmelo.

FVit natione Germanus, gente Auſtriacus, domo Vienenſis, æuo ſuo non ignobilis Theologus, Scripſit, ſeu digeſſit A. D. 1475.

librum Moralitatum, qui voluntate Ioannis XXII. Pontif. Max. dictus est *Lumen animæ*. *a*. Opera ipsius sparsa sunt in vulgus à typographis anno 1477. *b*. Exarauit manu suâ Codicem in 4. qui plures habet Tractatus, & inter illos Opusculum quoque Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi* continebatur, antequam nuper ab homine nescio quo exsectum, & ab amplissimæ Reip. Augustanæ Bibliotheca, turpissimo sanè facto, interversum est, vt Tabulæ publicæ contestantur. *c*. Libri seu Tractatus quatuor absoluti sunt Anno 1472. vnus anno 1475. Et ecce tibi Testimonia ex ipsomet malè accepto codice! De librario pagella testificatur, quæ sitty bi est agglu-

a. ipse in Prolog. b. Possev. in Appar. Gesnerus in Bibliotheca. c. lege catalogum impressum illius Bibliothecæ, anni 1633. fol. 21. & quæ nos habemus part. 1. test. 8.

glutinata asserculo: *Præsens libellus per F. Matthiam Farinatoris, Lectorem, scriptus & comparatus est.* Eiusdem librarij manus inscripsit paginæ quintæ (quam exsector ille non obseruauit, certò euellendã, si in oculos incurrisset) catalogum librorum eo in codice contentorum. Proximum à primo locum obtinebat *Prima pars Tractatûs de Imitatione Christi, Domini Thomæ Montis S. Agnetis Can. Regul. Fol. 25.* Deinde *Secunda pars eiusdem Tractatûs Fol. 36.* Nunc à folio 25. vsque ad folium 48. omnia sunt excisa.

III.

Auctor Anonymus Vitæ Thomæ à Kempis, penè coæuus.

HAbetur hæc vita impressa cum eiusdẽ Operibus Norimbergę anno 1494. f. 84 &c.

& 85. Subjungitur item Opuscu-lis ipsius aureis, quæ Venetijs im-presserũt Iuntę fratres anno 1568. Exhibet Rosweydus in editione Antuerpiensi librorum 4. *de Imitatione Christi*, anni 1617. post *Vindicias Kempenses*. Quæ pro Thoma nostro faciunt, hæc sunt: *Iste bonus Pater solitus erat dicere, quando fuit cum Conuentu spatiando, vel cum alijs, quando sensit inspirationem diuinam, quando sponsus eius, scilicet IESVS Christus voluit cum sponsa loqui, tunc humiliter petijt licentiam, dicendo: Dilecti fratres, oportet me ire; vnus me expectat in cella. Et fratres piè annuentes petitioni eius, multùm ædificati fuerunt. Et sic impletum fuit in eo illud*: Ducã eum in solitudinem, & ibi loquar cum eo. *a*. *Et ipse Thomas ad Dominum illud*; Loquere Domine, quia audit servus tuus. *b*. *Quid tunc loquebatur Dominus*,

a *Osea* 2. v. 14. *b*. 1. *Reg*. 3. v. 10.

minus, *&* *quid loquebantur ad inuicem*, *habemus in Tractatu eius*, *De interna Christi locutione ad animam fidelem*: (est liber tertius de Imitatione Christi) *qui Tractatus habet hoc idem pro themate*, *in secundo capitulo*: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. *quod Samuel Propheta etiam dixerat ad Dominum*, *quando Dominus eum vocauerat*. Hunc antiquũ auctorem, ac propemodum coæuum, amplo quondã cohonestatũ elogio pro Gersene Caietanus eduxerat, verùm Thomæus Vindex *a*. eum ad sua subsellia retraxit, recitatóque testimonio ipsius, demonstrauit omnibus, contra Gersenem dicere, stare pro Kempensi. Iam ille testem cauillis lacerat, & quia libellum Thomæ adscripsit, eâdem, quâ Buschiũ dicit famâ deceptum hæsisse in Syrtibus. Nimirum errauit,

a. *Rosvveyd*. *Vind*. *cap*. 10.

uit, quiſquis Thomæ patronus eſt, quia errare potuit. At in Dialecticorum ludo talis argutatio facilè declinatur: videlicet Negando.

IV.

Petrus Schottus, Canonicus Argentorat. in D. Petri.

A. D. 1488. 1489. VIrum diuinis humaniſque litteris egregiè tinctum, panegyri; elatum, tricenario vix bene maiorem, epicedio laudat Trithemius, celeber illius æui ſcriptor. a. Multa venuſta carmina panxit, elegantes ſcriptitauit epiſtolas, hortatu Ioannis Keiſersbergij Gerſonem Cancellarium Pariſienſem encomio breui exornauit, quod editioni Operum omniū Argentinenſi, anno 1488. præmittitur ſine encomiaſtæ nomine: in editione verò Argentoraten-

a. *De Viris illuſtr. Germ.*

ratensi, anno 1514. exprimitur, auctor *Petrus Schottus*, qui Thomã à Kempis, exauctorato Gersone, in possessionem antiquam ire jubet libelli de Imitatione Christi, his omnino verbis. *Inter hæc autem Opera licèt nonnulla sint, quæ Ioannis de Gerson non esse verisimilius sit, vt est Tractatus contra proprietarios S. Augustini, Compendium Theologiæ, Sermo de Conceptione, & si qui plures reperiantur, tamen quia auctor alius non patebat, ideo loco suo perstiterunt. Alij autẽ Tractatus, qui sibi nonnunquam tribuuntur, sed tamen auctorem certum habent, vt est libellus de Contemptu mundi,* (est is ipsus, de quo controuersamur) *quem constat à quodam Thoma Canonico Regulari editum, & plures alij, non sunt Operibus suis inserti.*

Quid adversus istũ Gerseniani? secutus lapsantẽ ducem Buschium, eodem cum illo lolio victitauit:

eâdem

eâdem, quâ ille, famâ falsam aucupatus est persuasionem: illum imperitum cæcũmque secutus Ducem, in eundem præcipitatus est errorem. Id scilicet agitur, vt Buschius dumeto suo exuatur: hoc autem vt fiat, nihil iuvat dicere, *Errasse*, sed ostendere. Vbi nolim spectare ardelionẽ aliquem, aut qui pyrrhicham saltet, hoc est, gladium ostentet, non feriat, sed alytarcham desidero, qui caueat, ne quid immodestè aut tumultuosè fiat. Omnia his clamoribus implere, Errauit Buschius, Deceptus est: Errat, quisquis hunc cæcum & imperitum Ducem sequitur, causam nostram nihil vulnerat. Quasi verò tot grauissimis testibus imposuisset vnus Buschius, in cuius Chronicis plerique illorũ nec apicem legerunt, donec nuperus accusator sine tabularum sincera fide, sine testium proba-

lin-

lingua in forum prosiluit. Date vel vnicum testem Buschio similem; talem, inquam, qui Gersenem familiariter nouit, qui librum conscriptum ante 400. annos vidit, qui ab auctore ipso, vel æqualibus; vel à domesticis, monachis Vercellensibus S. Stephani audiuit, librum (qui nempe habebatur *propriâ manu scriptus in eadem Abbatia*) ab illo compositum fuisse. Adeóne cæcus, adeóque surdus fuit terrarum orbis, vt in præstantissimi auctore libelli per quatuor sæcula obbrutesceret; donec nostrâ hac ætate Constantinus Caietanus hominem vidit, qui nunquam fuit; audiuit Gersenem ex deartuato Gersone dici; olfecit patriæ fumum illius, qui Ithacā nullam habuit.

Ioan-

V.

Ioannes Trithemius, Abbas Ord. S. Benedicti.

A. D. 1494. MAgnum suâ, nostráque tempestate nomen, libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis* ad limam tertiùm revocato, septennali exacto labore, vltimã manum apposuit anno à Virginis Partu 1494. *a.* & Basileæ typis vulgauit. *b.* Hic tant⁹ vir *Thomam de Kempis, natione Teutonicum, Ordinis Canonicorũ Regularium S. Augustini, Montis D. Martyris & Virginis Agnetis, prope Zuvollis, in diœcesi Traiectensi, virum in Scripturis diuinis studiosum & eruditum, vitâ & conuersatione deuotum, & B. Mariæ semper Virginis amatorem præcipuũ*, scripsisse tradit *libros quatuor de Contemptu mundi, Qui sequitur me, non &c.* Tri-

a. ipse de se in fine libri. b. quo vsi sumus exemplari.

Trithemio Trithemius opponitur, qui libro de *Luminaribus*, seu de viris illustribus Germaniæ; *Notandum*, inquit, *quòd duo feruntur huius fuisse nominis, ambo de Kempis, ambo Regulares in monte S. Agnetis, ambo ingenio præstantes, ambo varia cudentes opuscula: quorum primus temporibus Magistri Gerardi Magni ad Religionem conuersus, diuinis reuelationibus dignus habitus, ea, quæ suprà recensuimus, Opuscula* (est verò primum, De contemptu mundi, & Imitatione Christi) *scripsisse dicitur. Secundus verò adhuc nostris temporibus pœnè viguit in humanis, & varia composuit, quæ ad manus nostras non venerunt. Et forsitan primo nonnulla sunt adscripta, quæ secundus fecisse putatur. Libellus autem de Imitatione Christi, primi fertur auctoris, quem ante multos annos seniores nostri suos ferunt legisse seniores: quamuis sciam nonnullos in*

hac

hac re ſentire contrarium. Hactenus Trithemius libro de ſcriptoribus Germaniæ.

Expendamus ad accuratam trutinam ſingulas illius propoſitiones, quarum prima hæc eſt: *Duo feruntur huius fuiſſe nominis*, videlicet Thomæ. Vbi notare te velim verbum dubioſum, *feruntur*. Duos fratres, cognomento *Malleolos*, fuiſſe in monaſterio D. Agnetis, quorum alter Ioannes, alter Thomas appellabatur, ex Buſchij chronico Windeshemenſi conſtabat Trithemio; vt qui Chronicon illud ſe legiſſe, lib. de Script. Germaniæ teſtificatur. At verò duos Thomas, ſiue fratres ij, ſiue municipes tantùm popularéſque fuerint, ibi vixiſſe, non conſtabat; hinc quod ex fama didicit, ancipiti verbo retulit, *feruntur*. Et reuera vni tantùm id nominis fuit. Pergo enumerare cæteras. *Ambo ferun-*

feruntur fuisse de Kempis. Duo fratres de Kempis, quorum alter Ioannes, alter Thomas dicebatur, fuerunt in eodem monasterio: duo Thomæ de Kempis non fuerunt. *Ambo feruntur fuisse ingenio præstantes. Ambo feruntur varia cudisse opuscula*. Ecce nulla absolutè & categoricè enunciat, omnes sub dubio, & cum formidine oppositi. Iam quia falsa est ista propositio, *Fuerunt duo huius nominis Thomæ de Kempis*, omnes quæ illā cōsequuntur, idem vitiū trahunt falsitatis.

Vnus igitur tantùm fuit Thomas, patriâ Kempensis, professione Canonicus Regularis ad D. Agnetis, ingenio præstans, variorúmque auctor opusculorum. Ille ipse non sub tempora Gerardi Magni, quæ Ioanni Malleolo à Kempis germano fratri conueniunt; sed temporibus Florentij, & ijs quidem postremis, ad Religiosos

D. An-

D. Augustini Canonicos animum appulit: ille diuinis illustrationibus dignus habitus, atq; reuelationibus: ille opuscula omnia, quæ recensita sunt (nam Ioannes germanus frater proprio Marte nihil condidit) composuit, cùm alter quidam Thomas à Kempis, qui potuerit scribere, monasteriũ illud non incoluerit. Vnũ valdè longęvum (propè centenariũ) rari senectus exempli in duos Thomas Kempenses distraxit, juniorem alterum, alterum seniorem. Agedum reliqua percurramus. *Secundus adhuc nostris temporibus pœne viguit in humanis.* Non fuit secundus, sed idem oppidò senex, qui Trithemio admodũ puero, annos nato vndenos, excessit è viuis. *Forsitan primo nonnulla sunt adscripta, quæ secundus fecisse putatur.* Adverte voces dubias *Forsitã, Putatur.* Deinde Thomas aliquis secund⁹ à pri-

primo non fuit: primus, non post quem alius, sed ante quem nullus, fuit: & huic tribuenda soli, quæcunque à duobus coætaneis Thomis Kempensibus scripta credebantur. *Libellus de Imitatione Christi, primi fertur auctoris.* Rectè, si primi, non post quem alius, sed ante quem sit nullus, vt dixi. *Libellum de Imitatione Christi ante multos annos seniores nostri suos ferunt legisse seniores:* vt adeo si duo fuissent cognomines, ex eadẽ patria, eodem in monasterio, eodem æuo, non possit adscribi secundo, siue juniori Thomæ à Kempis, sed illi primo & antiquiori, quandoquidem seniores tempore Trithemij dicant, seniores suos iam ante multos annos eum libellum perlegisse. *Quamuis sciam nonnullos in hac re sentire contrarium:* esse nimirum junioris. De ijs enim duobus tantùm erat controversia, vter

esset verus libri *de Imitatione Christi* auctor? ab alijs ferebatur esse senior, ab alijs junior: cum illis sentit Trithemius, dum ita ratiocinatur: Cùm duo dicantur fuisse Thomæ à Kempis, atque dubium sit, vtri attribuendus liber *de Imitatione Christi*, quidam existimant senioris esse, & rectè, quia seniores nostri dicunt, seniores suos iam dudum eum librum lectitasse.

Quæres ex me (cùm Caietano non sit integrum, morosiùs disputare) quâ ætate vixerint, qui seniores fuerunt senioribus Trithemij? Morem tibi gero, & liberalissimè cum adversarijs meis litem compono. Scripsit hoc Trithemius anno salutis 1495. ætatis suæ 35. Demus, seniores ipsius annis eo triginta fuisse maiores natu, adeóque tunc numerasse quintam & sexagesimam æstatem: legerint anno ætatis suæ quinto decimo:

cimo: ergo cùm nati fuerint anno 1430. legerunt librũ *de Imitatione Christi* anno 1445. Iam senioribus horum adijciamus alios triginta annos; ita vt nati fuerint ij anno 1400. quo Vale dixit mundo Thomas à Kempis; & legerint anno ætatis suæ itidem XV. legerunt anno Christi 1415. quo anno, nullus dubito, quin liber *de Imitatione Christi* iam compositus, & limatus tereretur hominum manibus. Intercedunt ab anno 1415. vsque ad annum 1495. octoginta anni: intra quos vtique potuerunt seniores, & iterum seniores seniorum Trithemij legere librum *de Imitatione Christi.*

Ad postremũ; siue Trithemius ipse crediderit, duos fuisse Thomas à Kempis in eodem monasterio S. Agnetis, siue aliorum opinionem solùm retulerit, vt error ille stirpitus eradicetur, euolue

meo exemplo Chronicon Montis S. Agnetis, quod composuit ipse Thomas à Kempis ab origine monasterij vsque ad annũ 1471. quo auctor obijt: continuauit alius vsque ad Septembrem anni 1477. Euolui ego semel iterúmque à capite vsque ad calcem, & præter nostrum Thomam à Kempis reperi tres alios Kempenses, imo quatuor: *Ioannẽ Kempen*, qui mortuus est anno 1398. in festo vndecim millium Virginum, de quo fit mentio cap. 6. & 7. *Godefridum Kempis*, qui anno 1399. habitum sacrum accepit, capite eodem septimo. *Hermannum Kempis*, cognomento *Restikey*, qui extinctus est anno 1398. in festo S. Calixti Papæ & Mart. Vide cap. 6. & 7. *Ioannem de Kempis*, Thomæ fratrem, qui anno 1399. creat⁹ est primus Prior Montis S. Agnetis, cap. 8. De reliquo ab origine monasterij, quod

initiũ cępit anno 1398. vſq; ad A. 1477. pręter noſtrũ *Thomã à Kempis* nullus ex tanto Religioſorum numero ibi vixit, cui vel nomẽ fuiſſet THOMÆ, ſiue Kempis ex municipio Colonienſi, ſiue ex quocumque alio loco ad montẽ S. Agnetis commigraſſet. Quàm igitur euidenter falſum eſſe conuincitur, quod de duob⁹ Thomis Kempenſibus ſiue ſcriptum, ſiue creditum fuit! Vnicus erat Thomas in monaſterio D. Agnetis, per 79. annos, & cùm Trithemius non alium auctorem libelli *de Imitatione Chriſti* agnoſcat, quàm aliquem Thomam de Kempis. *Hic*, qui ſolus atque vnicus hoc nomine, tanto temporis ſpatio, extitit, *Hic* germanus auctor ſit, neceſſe eſt. Iam, quæ ab Adverſarijs obiectantur, diluamus. Caietani primum eſt telum in Apparatu pag. 10. *Hic*, (Trithemium intelligit) *agens de libello de*

Imitatione Christi, eum Thomæ Kempensi abjudicat; quia nostris, inquit, temporib⁹ pœne viguit in humanis &c. Abjudicat Thomæ Kempensi illi juniori, qui nunquam fuit; & qui, vt fuisset etiã, non potuit esse auctor libelli, quia mox subjungit; *Libellus autem de Imitatione Christi primi fertur auctoris, quem ante multos annos* (nimirum 80. quemadmodum ostendi) *seniores nostri suos ferunt legisse seniores.*

Vrget Caietanus mentem Trithemij *captu* (sic ipse loquitur) *facillimam*, hoc argumento: *Cùm ideo docet, Thomam à Kempis* (intellige, lector, Iuniorem) *non fuisse auctorem libelli de Imitatione Christi, quòd pœnè temporibus Trithemij ipse vixisset, libellum verò de Imitatione Christi, qui senioribus suis seniores fuerant, ante multos annos legissent, clarè ostendit, seniores hos eo tempore vixisse, vt librum ipsi legere non potuis-*

fuissent à Thoma juniore conscriptũ, nempe quòd is junior fuisset, quàm vt edere potuisset libellum ab ijs ante multos annos lectum.

Hîc Caietanus vel non est memor opinionis Trithemianæ, duos in scenam inducentis *Thomas de Kempis*; vel si memor sit, idem infert in conclusione, quod posuit in antecedente, nimirum; Thomas à Kempis junior non fuit auctor libelli de Imitatione Christi, propter allatam rationem: ergo Thomas à Kempis junior illum libellum non conscripsit. Quæ omnia conceduntur. Nam tametsi aliquis Thomas à Kempis junior fuisset, illi eum Trithemio abjudicaremus, & seniori tribueremus hunc libellum. Quoniam verò non fuit aliquis Thomas à Kempis junior, sed vnus valdè grandævus, is tam maturè scripsit librum de Imitatione Christi, vt seni-

ſeniores ſeniorum Trithemij facilè potuerint legere.

Quod in Apologiæ capite 6. dicit de Ioanne Kempenſi, Thomæ fratre natu maiore, nihil nobis officit. Ex verbis Trithemij hîc allatis non euincet, fuiſſe duos in eodem monaſterio fratres germanos Kempenſes, ſed fuiſſe duos Thomas Kempenſes, eiuſdem nominis, patriæ, profeſſionis: & de his fuiſſe dubitatum, vter illorũ fuerit auctor libelli *de Imit: Chriſti.* Quod verò noſtri de Ioãne Kempenſi dixerunt, eo conſilio factum eſt, vt oſtenderent, non fuiſſe duos *Thomas* Kempenſes, ſed duos fratres, quorum alteri natu maiori nomen fuerat Ioannis, alteri Thomæ. Nunc quoniam nulla vnquã controverſia fuit, vtrùm Ioannes ſcripſerit libellum *de Imitatione Chriſti*; deinde quoniam demonſtratum eſt Trithemio, non fuiſſe niſi vni-

cum

eum Thomam de Kempis; vtique nobiſcum is concluderet, eum eſſe auctorem libelli, & corruere illorum fundamentum, qui ætate ſuâ ſteterunt pro altero Thoma juniore. Ecce tibi, Lector, Caietani propoſitiones! Trithemius *duos agnoſcit Kempenſes fratres, ſeniorem & juniorem.* Hoc in libro de Scriptoribus Germanis, ex quo contra nos Adverſarij pugnant, negamus: Expendãtur verba auctoris. Duos Thomas Kempenſes oſtendo tibi ex Trithemio: Duos fratres germanos tu mihi ex ipſo nunquam oſtendes. Narratio ipſius vera eſſet, ſi duo fuiſſent Canonici Regulares Kempis oriundi, ambóq; Thomę nominati; tametſi cognomen vni fuiſſet *Malleolus*, alteri *Ferreolus*: nónne ambo fuiſſent Thomæ Kempenſes? num etiam fratres vterini? *De his duob⁹* (Thomis Kempenſibus fratribus) *con-*

tentio fuit, quis auctor libelli de Imitatione Christi videretur esse. Negamus fuisse vnquam contentionē; quî enim esse potuit de duobus fratribus eiusdem nominis, qui non extiterunt?

Quam ob rem cùm constet, non fuisse duos Thomas Kempenses, siue fratres, siue non fratres, sed vnicum, Trithemius stat pro ipso, quidquid adversarij contradicant, & dictum illud (*Quamvis sciam nonnullos in hac re sentire contrariū*) in sensum prorsus à Trithemij mente alienū detorqueant, quasi vtrique Thomæ, & seniori, & juniori, libellum *de Imitatione Christi* subriperet, aut ab alijs interuerti sentiret. Nihil tale in mentem ipsi venit, sed vbi dissidium narravit de vtroque Thoma, dicit libellum rectè attribui seniori; *quamuis*, ait, *sciam, nonnullos in hac re* (de qua nimirum re controversia fuit;

fuit

fuit autem de duobus Thomis Kempensibus, vter illorum sit au-ctor, & non de tertio prorsus alio) *sentire contrarium*: hoc est, quamuis sciam, nonnullos attribuere juniori. Quos tamen rectè Trithemius arguit ex tempore, non potuisse hunc scribere libellum, sed seniorem illum, qui nobis est vnicus, sed grandæuus senex, quique librum scripsit eâ florenti ætate; vt, qui fuerunt senioribus Trithemij seniores, potuerint lectitare. Si id significare voluisset Trithemius, quod prensat Caietanus, videlicet alium, quàm alterutrum ex Kempensibus Thomis, fuisse parentem libelli de Imitatione Christi, non dixisset; *quamuis sciam nonnullos in hac re sentire contrariū*: sed, *sentire aliud.* Opinio contraria est de *ijsdem* rebus: de rebus *alijs* est opinio diuersa. Quoniam ergo Trithemius ait, fuisse *in hac*

re, de duobus nimirum Thomis, nonnullorum contrarias opiniones, aliqui dicebant; *Thomas à Kempis junior est auctor libelli de Imitatione Christi, & non senior*: alij; *Thomas à Kempis senior est auctor, & non junior.* Diversa opinio *de alio quodam* inter ipsos non fuit: quam tamē persuadent sibi adversarij, quo faciliùs Gersenem suum currucæ subijciant.

VI.

Georgius Pirckamerus, Prior Carthusiæ Norimberg.

A. D. 1494. IS quamquam Thomam Kempensem non expressis verbis nominet parentem librorum IV. *de Imitatione Christi*, res tamen ipsa satis supérque loquitur, eum ab ipso habitum fuisse germanum illorum auctorem: vt qui editionem omniū ipsius Operū arte typo-

po-

pographicâ describendorum Petro Danhaussero persuasit. Interquæ non obtineret primas *Imitatio Christi*, disertis Gersoni verbis abrogata, Thomæ Kempensi addicta, nisi Pirckamero gravissimo viro certissimum, persuasissimum fuisset Danhaussero, isti, non alteri esse tribuendam. Quantis in cælum laudibus efferat Thomæ de Kempis Opera, queîs nomen fecit *Libri vitæ*, vt ex quibus veram liceat haurire vitam, epistola te docebit, quam XVI. Kalendas Martias anni M. CD. X C I V. ad M. Petrum Danhausserum, non vulgaris litteraturæ virum dedit: ex qua tamẽ, quòd codici satis noto atque obvio sit ad vestibulum limitanea, brevitatis amore nihil delibo.

VII. Pe-

VII.

Petrus Danhausserus Norimbergensis.

A. D. 1494. INclaruit æuo suo scriptis, & in lucem editis libris. Admodum R. P. Georgius Pirckamerus Prior Carthusianorum Norimbergæ, & Visitator per Germaniã, illum anno 1494. per epistolam ad editionem Operum omnium Thomæ Kempensis adhortabatur. Quæ cùm is eodem anno typis excudi curasset, in Epistola nuncupatoria ad eundem Pirckamerum, inter cætera ita scribit; *Libros deuotissimi Patris* (quis dubitabit de Opere *Imitationis Christi*, quod principe loco ponitur?) *legi ac relegi sæpius: placuit mihi eius Viri religio, & castitas: placuit mens in diuinum numen erecta: placuit sapientia, & copia S. Scripturæ: vt iam omnia*

omnia studia mea, omnem operam, curam, industriam, cogitationẽ, mentem denique omnem in his libris, ductu vestro, fixerim & collocauerim.

VIII.

Joannes Geiler Kaisersbergius.

HVius natale solum Schafhusia fuit in Helvetis. Id loci sub annum Christianum 1445. nascitur, adolescente vere. Argentorati, vrbe nobilissimâ totius Alsatiæ, annis omnino triginta tribus ecclesiasten egit, incredibili cum applausu, nec minore in auditores fructu. Anno 1498. & 1499. *Nauiculam Fatuorum* pro concione exposuit: vbi Turbæ octogesimæ nonæ, *Permutantium*; *Hæc*, inquit, *deduc ad placitum ex Kempis, de natura & gratiæ differentia, in libro de Imitatione Christi.* Est libri 3. cap. 54. & 55. A. D. 1498. 1499.

secun-

ſecundũ Sommalij, Roſweydi, Caietani recenſionẽ, nã in antiquioribus editionib⁹ eſt cap. 59. Turbæ item centeſimæ, *Viatorum*, paulò ante finem; *Quanto natura*, ait, *ampliùs premitur & vincitur, tanto maior gratia infunditur, & quotidie nouis viſitationibus interior homo ſecundum imaginem Dei reformatur. Hæc Thomas de Kempis*: Nimirum lib. 3. de Imit. Chriſti cap. 54. n. 17. In antiq. edit. cap. 59.

IX.

Ioannes Mauburnus, Can. Reg. Ord. S. Auguſtini, Abbas Liuriacenſis.

A. D. 1500. FVit Ioannes Mauburnus domo Bruxellenſis, Can. Reg. S. Auguſtini in eodem, quo Thomas à Kempis, monaſterio Montis S. Agnetis, vbi *Ioannes Temporalis* voluit nuncupari: Abbas denique cœnobij Liuriacenſis in Gallia,

Gallia, vbi diem ſupremum clauſit. a. Fuit ipſi Thomæ coætaneus, vel certè non diu poſt ipſius obitum Diui Auguſtini aſcetis Canonicis adiunctus. Scripſit *Roſetum exercitiorum ſpiritualium*, in quo ſæpiuſcule Thomæ Kempenſis meminit, vt libelli *de Imitatione Chriſti* auctoris, velut in *Dietario exercitiorum* de celebratione miſſarum §. 3. hæc ex lib. 4. de Imit. Chriſti c. 10. adducit: *Monet deuotus Thomas noſter Kempis; Non ſis in celebrando nimis prolixus, aut feſtinus, ſed ſerua bonum communem modum eorum, cum quibus viuis. Non debes alijs generare moleſtiam, & tædium, ſed communem ſeruare viam, ſecundum maiorũ inſtitutionem, & potiùs aliorum ſeruire vtilitati, quàm propriæ deuotioni, vel affectui.* In Scala Communionis, titulo 6. alphabeto 20. De conſideratione, membro 1.

Hinc

a. *Valer. Andreas Biblioth. Belg.*

Hinc enim juxta nostrũ Thomã Kempis, tam præparationis incurij sumus, quia non satis, quid acturi, vel quem sumus suscepturi, æstimamus. In eiusdem scalæ gradibus accessorijs, titulo 6. Alphab. 22. verbo Coniungo § 4. *Quam doctrinam noster Thomas Kempis insecutus erat, cùm communicaturus dicebat; O DEVS meus, amor æternus, cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio, & dignissima reuerentia, quibus vnquam exceptus es ab aliquo Sanctorum. Et licèt indignus sum, omnia illa sentimenta deuotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem. Domine DEVS meus cum tali affectu, reuerentia, laude, & honore, cum tali gratitudine, dignitate, & amore, cum tali fide, spe, & puritate te affecto suscipere, quali & quanto te Virgo Maria, & præcursor tuus Ioannes suscepit. Requiratur* in

in libro eius de Sacramento.] Hæc Mauburnus ex lib. 4. cap. 17. Vsus sum editione Parisinâ Iodoci Badij, anni 1510. ac recentiore Basilij Serenij. Basileensem anni 1491. & 1504. erroribus scatentem auctor ipse condemnat in Prologo totius Roseti.

X.

Iacobus Philippus Bergomensis, Ord. Eremitarum S. Augustini.

NObilis Chronicorum scriptor, qui codici hunc denique titulum fecit, *Supplementũ supplementi Chronicorum*, in quo historiam ab initio mundi vsque ad annum Christi M. D. III. pertexuit, quo agebat annum ætatis sexagesimum nonum, vt ipse testatur in epilogo sui Operis, editi Venetijs anno M. D. VI. & M. D. XIII. impensis Georgij de Rus- A. D. 1503. 1506. 1513.

Rusconibus. Ad annum M. CD. VI. ita scribit: *Thomas natione Teutonicus, Ord. Canonicorum D. Augustini, vir in diuinis Scripturis admodum studiosus, atque eruditus, vitâ & conuersatione valde insignis, hac tempestate clarus existens, scripsit ad instructionem multorum subjecta opuscula: & primò de contemptu mundi libros IV. Incipit, Qui sequitur me.* Eadem verba reperies in Italica huius Supplementi interpretatione, quæ anno M.D.XL, itidem Venetijs excusa est.

XI.

Iodocus Badius Ascensius.

A.D. 1520. 1521. 1523.

ASCÆ, Bruxellensis agri municipio, nascitur ãno 1462. Ætatem pleramque in Gallia transegit, vir doctus, & doctorum operũ typographus præclarus. Edidit Opera omnia *Thomæ à Kem-*

à Kempis Lutetiæ anno 1520. in fol. mox inſequente anno, typis ſecundis, in forma 8. ubi in tomulo tertio Enchiridij piarū mentium dicitur, libros *de Imitatione Chriſti* perperam Ioanni Gerſoni Cancellario adſcribi ſolere, cùm ſtylus totus Teutonicam redoleat phraſin, quæ proinde excludit & auctorem Gallum *Ioannem Gerſonem*, & hominem Italum *Ioannem Gerſenem*. Scripſit idem Vitam Thomæ Kempenſis, Operibus ipſius Lutetiæ tertiùm ab illo impreſſis Anno 1523. præfixam, vbi Titulo 2. *Dictus eſt* (inquit) *mirabili prouidentiâ Operum ſequentium* (inter quæ primas habet Imitatio Chriſti) *ſcriptor Thomas Malleolus à Campis, ſeu Campenſis*. Nec eleuanda eſt iſtius auctoritas teſtis, vt qui prima litterarum rudimenta poſuit Gandaui apud Fratres vitæ cōmunis in domo D. Hieronymi, qui

qui ex Domini Florentij sodalitio & schola prodierunt: ij videlicet pernouerunt, libellum *de Imitatione Christi* conscriptum esse à Thoma Malleolo contubernali quondam suo, & quæ Sodales alius alij quasi per manus tradiderunt, ea ad se vsque perlata litteris consignauit. Quem si errasse dicas, cui tandem habebis fidem? Qui Gersenem prædicat, qui castra sequitur Caietani?

XII.

Alardus Amstelredamus.

A. D. 1532. FVit hic vitæ sacerdos probatissimæ: fuit tum doctrinâ ipse suâ, tum doctissimorum quorumque hominum familiaritate longè clarissimus. Carolum V. Imp. Poëmate Panegyrico salutauit, cùm SS. Eucharistiam in æstuantissimis olim flammis absque

quæ noxa repertam, ác per aliquot retro sæcula inauditis miraculis coruſcantem, religione ſingulari, muneribus regijs veneraretur. Elucubrauit præter alia piam ac ſalubrem *Paraſceuen*, ſeu Præparationem ad Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti perceptionem, è ſacris vtriuſque Inſtrumenti libris, & Orthodoxis Eccleſiæ Patribus accuratè concinnatam. Hîc Thomas à Kempis, è libro quarto de Imitatione Chriſti, tribus in locis auctor eſt Alardo præparationis inſtituendæ. Prodijt liber ille in lucē A. M. D. XXXII.

XIII.

Seraphinus Firmanus, Can. Reg. Ordinis S. Auguſtini Lateranenſis.

ERat egregius ſui temporis cōcionator: floruit in rebus ſcribendis ſpiritualibus, & multa A. D. 1538.

multa præclara ſcripta reliquit de diſcernendis ſpiritibus. *a*. Is tractatu de interna oratione, cap. 6. *Probo, ait, & ſpiritualia Ioannis Gerſonis Opera: non loquor hîc libellum illum de Mundi contemptu; non eſt enim eius, ſed Thomæ à Kempis Canonici Regularis.* Averſatur Caietanus Petrum Schottum, de quo ſuprà, & hunc Seraphinum Firmanum, *quòd, Gerſone ſine elogio exhærede ſcripto, Thomam expreßiſſimis codicillis inſtituunt.* Quis ergo placebit?

Qui ſe ad Caietæ recto fert littore portum. *b*.

XIV.

Societas IESV.

SOcietas IESV, quæ duce ac parente Ignatio Loiolâ initium habuit anno 1540. non ſolùm maximi facit libellum de

A. D. 1540.

a. Roſignol. lib. 3. de Perfect. c. 19. b. Virgil. 6. Æneid.

de Imitatione Christi, propterea quòd Ignatij vita fuerit ectypon absolutissimum eorum præceptorum omnium, quæ aureo illo libello continentur; sed etiam Thomam à Kempis germanum ipsius auctorem non semel profitetur in regulis, satis longo tempore pòst conscriptis. In Reg. Magistri Nouitiorum cap. 1. §. 8. inter libros ad vsum ipsius accommodatos refertur *Thomas de Kempis de Imitatione Christi*, & alia eius opuscula. In Reg. 9. Præfecti lectorum ad mensam, inter libros, qui post S. Scripturam legi possunt, habetur *Thomas de Kempis de Imitatione Christi*, *& aliquot ex eiusdem auctoris Opusculis*. In omnibus Collegijs, & Domibus Societatis, semel in hebdomada, feriâ sextâ vespere, ad mensam legitur *idem Auctor*, inquit Caietanus. *a.* Quis Auctor?

K Io-

a. in Apparatu ad Gersenē pag. 50. Rom. edit.

Ioannes Gerſen? nihil huc vſque inſolentius in Societate IESV.

XV.

Ludouicus Granatenſis.

A. D. 1542. HOc illuſtriſſimum Ordinis Prædicatorum ſidus ſi cui affulſerit, hunc Veritas, hunc Sanctitas, hunc amat oraculum Sapientiæ. Atque is in primis fuit hoc ſplendore digniſſim⁹ Thomas à Kempis, cùm aſſerendus fuit Auctor, paréuſque libelli *de Imitatione Chriſti.* Ecce tibi radios orationis clariſſimæ: *Licèt non tam oporteat* (ait in Prooemio ad hunc librum à ſe Hiſpanicè a. conuerſum) *reſpicere auctorem, qui loquitur, quàm id, quod loquitur, bonum tamen eſt, vt ſcias, eum qui hunc librũ compoſuit, non eſſe Gerſonem, ſicut huc-*

a. Valerius Andreas Taxander in Catal. Script. Hiſpan. Item Auctor Vitæ ipſius, cap. 7.

hucusque inscribebatur, sed Fratrem Thomam de Kempis, Canonicum Regularem S. Augustini. Vtebar libro, qui impressus est Olisipone M. D. XLII.

XVI.

Conradus Gesnerus, Tigurinus.

EDidit copiosam Bibliothecam scriptorum, An. 1545. in qua de nostro Auctore ita loquitur: *Thomas de Kempis, natione Teutonicus, Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini, montis Diuæ Martyris & Virginis Agnetis prope Zvvollis in Diœcesi Traiectensi, scripsit de contemptu mundi libros IV.* Et paulo pòst: *De Imitatione Christi, & contemptu vanitatum mundi libri eius tres, Tiguri apud nos impressi sunt in Germanicum sermonem transfusi, nullo Auctoris expresso nomine, in 16. hoc anno* 1545. A. D. 1545.

XVII.

Gabriel Putherbæus.

A. D. 1548. INter scriptores Gallici oris pius ac locuples: rogatus fuerat à Ioanne Roginio Bibliopola Parisiensi, suā sibi operā daret ad recognoscenda *Thomæ Campensis, viri citra controuersiam inter paucos religiosissimi iuxta ac pientissimi monumenta*, quæ propediem prælo commissurus erat. Præfuit operi recudendo, & in fronte libros de *Imitatione Christi* collocatos Ioanni Gersoni Cancellario Parisiensi abrogauit, atq; ad legitimum parentem Thomam Kempensem postliminio reduxit. Præterea in Epistola nuncupatoria ad Stephanum Poncherium Episcopum Baionensem, die 25. Iunij An. 1548. istiusmodi encomium de ipsius condit voluminibus: *Hoc*

est;

est aurum, quod nobis Teutones miserunt purum putum, velut Hiram rex Tyri ad ornamentum & decus domus Domini. Hæ sunt peregrinæ Gazæ, hæ exoticæ gemmæ, quibus nostra superbiat, triumphétque Gallia.

XVIII.

Nicolaus VVinghius Canon. Regularis Louanij ad S. Martinum.

IS, qui patriâ linguâ donauit Biblia Sacra, fidelis ac probatus eorum interpres, A. 1548. a. Eodem anno in linguam Brabantinam transtulit libros quatuor de Imitatione Christi, quos in Epistola Dedicatoria *Thomæ Kempensi* adscribit, luculento cum elogio, quod tamen exscribere supersedebo. A.D. 1548.

a. *Valerius Andreas Desselius in Biblioth. Belgica.*

XIX.

Adamus Sasbout, ex Ord. Minorum.

A.D. 1550. FVIT hic inter æui sui Theologos eruditissimus, inter sacros Oratores disertissimus, inter Religiosos habitus sanctissimus. Terras cum cælo commutauit An. Christi 1553. annos ipse non plus quàm sex & triginta natus. Multa profectò, & præclara sunt, quæ nepos ipsius ex sorore *Michael Vosmerus* in vtroq; genere de ipso memoriæ prodidit: sed, quæ huc non faciunt, prætermissis; *Nunquam* (ait ille de auunculo suo) *tam citò, aut tam otiosè ambulabat, quin vnam alterámne periodum è D. Aurelij Augustini de Confeßionibus suis, ex Thoma à Kempis de Christo imitando libellis, per viam enarraret. Sum interea breues, at feruidæ preces.*

ces, (velut candentis chalybis stricturæ) ex intimo pectore exultabant: haud dubiæ indices, quàm casto intus ab amore cor arderet incendio. Codicum istorum familiaritate tantopere se delectari aiebat, vt à sacris litteris primo haberet loco: eóque nomine apud germanos suos, aliósque doctrinarum studiosos quàm diligentißimè commendabat. Vita Adami Sasbout, cap. 12.

XX.

Mameranus Lucemburgensis.

ANNO M D. LIII. edidit Dilingæ capita aliquot ex libello de *Imitatione Christi.* A.D. 1553.
Cuius rei consilium suum explicantem in epistola ad Perillustrem adolescentulum *Iacobum Fuggerum Antonij filium* audiamus. *Heri ad mensam Reuerendißimi Cardinalis &*

Episcopi Augustani (fuit magnus ille Otho Truchsessius) *cùm pro laudabili & sancta consuetudine sua prælegendi ex SS. Patribus super mensam aliquid, quod discumbentium animos fructu quopiam pietatis simul inter cibum afficiat, & in rerum cælestium contemplationem sub lectione transferat: pariterque de ijsdem rebus loquendi materiam & occasionem deinde præbeat: lector ad hoc officij dispositus fortè caput quoddam de meditatione mortis ex libello Ioannis Gersonis (licèt quidam eum Thomæ de Kempis adscribant) elegantissimo, de Imitatione Christi recitasset: incidit cogitatio tum mihi, forsan non fore inutile, si nonnulla ex eo libello capita, quæ ad pietatis ac deuotionis Christianæ excitandum & augendū studium, in puerili præsertim ætate, in qua quæ imbibuntur, hærent in omnem vsque vitam tenaciùs, propiùs accedere viderentur, seorsum in paucula folia collecta,*

lecta, in gratiam cælestis conuersationis studiosorum ederentur. Sumpto itaque à prandio in manus eo libello, ipsum percurri, capitulaque aliquot selecta excerpsi. Quid de Auctore huius Opusculi tandem sentiat, in fine libelli aperit hisce verbis: *Libellum hunc cùm Gersoni adscripsissemus, sub cuius nomine recens Parisijs impressus circumfertur: postea diligentiùs perlustratis Operibus Gersonis, eiúsque phrasi attentiùs obseruatâ, manifestè comperimus, neque inter Opera eius vsquam inueniri, neque dictionem eius, seu phrasin sapere. Ex quo non leui coniecturâ ducimur, eum veriùs illi Thomæ Campensi, cuius in epistola liminari mentionem fecimus, adscribi debere, ac falsò sub nomine Gersonis circumferri.*

XXI.

Benedictus Vernierus, Gallus, Ord. S. Benedicti.

A.D. 1554. LIBRO singulari, qui editus Parisijs anno 1554. & Coloniæ 1561. coëgit *Magnum & vniuersale Concilium Ecclesiæ Militantis super veritate diuinißimi Eucharistiæ Sacramenti: quod instar Sacrosancti Concilij Nicæni, trecentis decem & octo Patribus Orthodoxis constat.* Hos inter Scriptores orthodoxos, ad annum 1410. sententiam quoque suam dicit *Thomas de Campis Canonicus Regularis ex libro suo quarto de Imitatione Christi, cap. 5. Grande mysterium, & magna dignitas Sacerdotum, &c.* ad quæ lectorem remitto.



XXII.

Conradus Brunus, Othonis Cardinalis Truchsessij Cancellarius.

VIR doctissimus, veréque Catholicus, qui multos A. D. eruditos libros in lucem 1554. magno Catholicorum bono emisit. *a.* 1555. Libros IV. de *Imitatione Christi* in linguam Germanicam translatos edidit Dilingæ formis Sebaldi Mayer, anno 1554. iterum 1555. In epistola ad Guilielmum Truchsessium Eminentissimi Cardinalis parentem asserit, Thomam à Kempis hosce libros composuisse, quos Otho immortalis vir memoriæ tanti faciebat, vt secundum Scripturas diuinas sibi ad mensam legi voluerit. Cæterùm

a. Eysengreinius in Catal. test. Verit. Gesnerus in Biblioth. Possevinus in Appar,

terùm Thomas à Kempis dudum antè loqui Germanicè doctus est: nam Tiguri, rescisso libro quarto, auctoris suppresso nomine, prodijt anno 1545. *a*. Æquè mutilus Augustæ Vindelicorum, typis Philippi Vlharti, An. 1536. & An. 1534. meminitque in præfatione, jam bis antehac impressum fuisse Augustæ. Integer excusus est Constantiæ Anno 1515. 20. die Martij: Augustæ Vindel. Anno 1498. in festo S. Annæ. Habui penes me ex monasterio S. Catharinæ Augustano, codicem manu Magdalenæ Varisiæ virginis Deo dicatæ scriptum anno 1476. Seruatur in monasterio Zwifalfensi Sueuiæ alius codex MS. absolutus, vt in fine libri 3. additur, Anno 1448. *b*.

a *Gesnerus in Thoma Kemp.* *b.* *Teste Besoldo in Spicileg. Polit. Iurid. 3. de Pacis jure cap. 1.*

XXIII.

Iosias Simlerus Tigurinus.

IS Bibliothecæ Scriptorum Gesnerianæ epitomen edidit Anno M. D. L V. in qua Thomæ nostro his suffragatur verbis: *Thomas de Kempis, natione Germanus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, scripsit de contemptu mundi libros quatuor. Claruit anno 1410.* A. D. 1555.

XXIV.

Ioannes Gropperus S. R. E. designatus Cardinalis.

EGREGIVM sanè opus de SS. Eucharistia idiomate Germanico conscripsit Anno 1556. quod Laurentius Surius in linguam Latinam à se translatum, typis Coloniensibus vulgauit anno 1560. Is articulo 4. primario de A. D. 1556.

de Communione ſub altera tantùm ſpecie, cap. 28. mihi pag. 609. ita noſtrum auctorem commendat: *Qua de re conſulas licet pijſſimũ illum Thomam Malleolum à Campis, qui poſt Concilium Conſtantienſe fuit, libello de Sacramento Altaris, cap. 1, 4. & 14.*

XXV.

Auctor Præfationis ad editionem Colonienſem anni M. D. LXIII.

A. D. 1563. QVisquis ille fuit, cuius operâ vſus eſt Maternus Cholinus, ſic in laudem Thomæ à Kempis procemiatur. *Quod ad libelli auctorem attinet, tametſi nomen eius hactenus in Germanicis, immo etiam in pleriſque Latinis exemplaribus ſupprimitur, & nonnulli eum Ioanni Gerſoni, magno illi & celeberrimo Pariſienſi Cancellario attribuunt: attamen ſi res poſtularet*

laret, nullo negotio doceri posset, illum à Thoma Malleolo, ex oppido Kempensi Coloniensis Diœcesis originem trahente, unde etiam Thomas Kempis dictus est, confectum atque elucubratum esse. Fuit is suis temporibus ante annos ferè centum, homo religiosus, mundi contemptor & osor, Dei fidus amator, S. Spiritus gratiâ affatim collustratus, in vero Euangelicæ perfectionis itinere diu ac mirificè exercitatus, præclaris Dei donis & charismatis in Christianæ Reipublicæ usum atque commodum egregiè instructus: atque in Germania inferiori apud Svvollenses, vbi etiam feliciter diem suum obijt, celebre nomen obtinuit, & præter hunc libellum, permultas alias egregias, miniméque vulgares lucubrationes post se reliquit. Hæc ille.

XXVI.

Ioannes Garetius, Can. Reg. Ord. S. Augustini.

A. D. 1565. COllegit librum, qui Francisco Turriano in pretio fuit, a. isthoc nomine: *Omnium ætatum, nationum, ac prouinciarum in veritatem corporis Christi in Eucharistia consensus per sedecim annorũ centenarios.* Centenario 15. Thomas Campensis ex lib. 4. Imitationis Christi, qui est de Sacramento Altaris, c. 1. prolixè pro Christi in Eucharistia præsentia perorat: *Currunt multi &c.* Eysengreinius in rem nostram hunc Veritatis testem ad annum 1565. cuius chronographiam sequemur, citat. Mortem calculi cruciatu confectum oppetijsse Louanij, anno 1572. refert Cornelius Loos Callidius Catal. illustr. Germaniæ scri-

a. Proœm. Tract. de SS. Euchar. contra Volanum Caluinist.

ſcriptorum, & Aubertus Miræus in centuria Scriptorum Belgij.

XXVII.

Guilielmus Eyſengreinius Spirenſis

DEſinit iſtius *Catalogus teſtium Veritatis* anno 1565. Ad annum 1407. refert Thomam hoc cum inſigni encomio; *Thomas de Kempis, Germanus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, montis D. Martyris & Virginis Agnetis prope Zwollis in diœceſi Traiectenſi, vir omni doctrinarum genere clarus, vitæ ſanctitate conſpicuus, Philoſophus inſignis, Poëta grauis, Hiſtoricus celeberrimus, Theologorum ſuâ ætate nulli ſecundus, multarúmque litterarum & rerum peritiſſimus. De Imitatione Chriſti, & contemptu mundi libros quatuor abſoluit. &c.* A. D. 1565.

X XVIII.

XXVIII.

Nicolaus Grenierius, Gallus, Can. Reg. ad S. Victorem Parisijs.

A. D. 1565. THeologus iste multis operibus in lucem datis famosus, edidit anno 1565. Parisijs typis Claudij Fremy, *Pias hominis Christiani Deum timentis, & in eius misericordiam ac bonitatem respirantis meditationes, ex Psalmis, & S. Augustino collectas.* Haud procul à fine ponitur *Oratio deuota ante sumptionem Venerabilis Sacramenti, ex cap. 16. libelli de Sacramento Altaris, per Thomam à Campis.* Mox subiungitur, *De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi SS. Eucharistiam, ex cap. 17 supra dicti libelli Thomæ à Campis.* Idem Nicolaus in Catholica institutione ad felicem mortem, edita eodem anno 1565. affert to-

tum

tum caput 23. libri 1. de Imitatione Christi, *per Thomam à Campis.*

XXIX.

Henricus Pantaleon.

PRosopographiæ heroum, atque illustrium virorum totius Germaniæ, parte 2. editionis Basileensis, an. M.D.LXV. pag. 368. hunc in modum attestatur: *Thomas de Kempis, natione Germanus, Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini assumpsit, atque in eo vitæ statu magnam eruditionis existimationem sibi comparauit. Scripsit is de contemptu mundi libros quatuor. Claruit circa annum salutis M. CCCC. X.* A. D. 1565.

XXX.

Simon Verepæus, Presbyter.

QVi merito suo dictus est *Verè pius*: vir ad informandam iuuentutem, & bonis A. D. 1567.

litteris

litteris pietatéque instituendam natus. Collegit Precationum piarum Enchiridion, quod Gerardo Episcopo Leodiensi inscripsit 1567. Capitis 5. Precatio pro rerum temporalium vsu recto ac moderato, desumpta est ex *Thoma Kemp.* cap. 30. lib. 3. de Imitatione Christi. Capitis 11. Sermo pius ex persona Christi, quo docemur de accurata ante ipsam communionẽ præparatione cordis, tralatus est ex *Thomà Kempensi*, cap. 12. lib. 4. de Imit. Christi. Capitis 12. admonitio ex persona Christi, de exploranda ante Missam conscientia, immigrauit ex *Thomæ Kempensis* cap. 7. lib. 4. de Imit. Christi. Capitis eiusdem precatiunculã sacerdotibus quotidie legendam, vt in dies Deo feruentiùs deseruiant, docuit magister *Thomas à Kempis* cap. 11. lib. 4. de Imit. Christi. Capitis 15. Precatio,

catio, vt in DEO super omnia bona quiescamus, à *Thoma Kempensi* commodata est ex lib. 3. de Imitatione Christi, cap. 23. Capitis eiusdem Precatio deuota, vt adiutus DEI gratiâ ad inquirendum cælestia jugiter erigaris, decerpta est è *Thomæ Kempensis* cap. 53. lib. 3. de Imit. Christi. In fine Enchiridij, ad pium lectorem, hæc de libelli & auctoris commendatione leges: *Euolue inprimis libellum illum, vti dicitur, & est, verè aureum de Imitatione Christi Thomæ à Kempis, cuiuis homini Christiano adeo vtilem, vt haud sciam, an post Scripturam Canonicam quicquam magis conducat ad pietatis profectum promouendum.* *a.* Edidit quoq; Simon Precationes liturgicas in septenos dies digestas, quas Eminentissimo

a. Vsus sum editione Antuerp. Ioan. Belleri Anni 1571. & capita à Verepæo adducta respondent antiquioribus Thomæ codicibus.

ſimo S. R. E. Cardinali Antonio Granuellano conſecrauit Kalendis Januarijs anni 1574. Auxit hunc libellum multis precationibus *Thomas à Kempis* ex libello de Imit. Chriſti mutuatis.

XXXI. XXXII.

Balthaſar Aluarez, & Ludouicus de Ponte, Societatis IESV.

A. D. 1567. BALTHASAR hic eſt, de quo Sanctiſſima mater Thereſa diuinitus edocta eſt à magiſtro ſuo Chriſto, *quòd ille tunc in terra eſſet in adeo excelſo perfectionis gradu conſtitutus, vt eo tempore nullus eſſet in altiori, & juxta talem gradum reddendos illi gloriæ gradus in cælo.* Ludouicus de Ponte in vita ipſius cap. 11. §. 2.

In relatione, quam de modo ſuæ orationis ad Generalem Societatis

cietatis misit, sub finem paragraphi primi citat sententiam ex libello de contemptu mundi, & ad marginem explicatur, quis sit libellus, quis auctor libelli: nimirum; *Est libellus Thomæ de Kempis de Imit. Christi.* Ludou. de Ponte in vita ipsius cap. 13. §. 1. Rursus *cùm P. Balthasar Visitator esset in prædio, cui nomen* IESVS *de monte, cum P. Prouinciali & alijs Patribus, voluit, vt Ioannes Ximenus* (fuit is Coadiutor temporalis in Societate, sed cælesti sapientiâ plenus) *tempore mensæ, loco lectionis, quæ haberi solet, concionaretur, aut diceret, quod sentiebat, circa vnum caput Thomæ de Kempis. Hic autem adeo exacto rationum ordine, tanto spiritu & affectu locutus est, vt omnes auditores, viri alioquin valdè spirituales obstupescerent sanctam idiotæ illius Fratris sapientiam, nec finis fuit mensæ sine lachrymis.* Ludou. de

Ponte in vita cap. 45. §. 1. Porrò de quo libello Thomæ Kempensis sermo P. Balthasari fuerit, leges §. sequente. *Toto tempore, quo Ioannes Ximenus vixit in Societate, septendecim scilicet annis, duos tantùm libros legit: & primis quidem septem, Epistolas S. Catharinæ Senensis: reliquis, vitam Christi Ludolphi Carthusiani: & P. Balthasar vno mense ante eius obitum, ei tradidit libellum, qui inscribitur Contemptus mundi,* a. *cùm jam ipse totum in suam animam transfudisset.*

Addo, quæ ad laudem huius diuini libelli refert *Ludouicus de Ponte* in vita eiusdem Balthasaris, cap. 22. fin. eum valdè commendasse libros Thomæ à Kempis de Imitatione Christi. Placet ipsa exscribere verba: *Cùm non semper possimus viuos Magistros ad manum habere*

a. Hic est vulgaris titulus libri de Imit. Christi apud Hispanos; vt videre est parte 2. Tit. sim. 27.

habere, qui ſuis exhortationibus nos ad perfectionem exſtimulent: valdè commendabat lectionem librorum ſpiritualium, qui etſi ex ſe ſint magiſtri mortui, eis tamen vitam impertit Magiſter ille, qui eſſentiâ ſuâ eſt vita, qui loquitur, & cor noſtrum per eos docet: ac propterea nominatim commendabat aureum illum libellum Thomæ de Kempis, quem vulgò Contemptum mundi appellamus. Cuius ſententijs frequenter vtebatur in exhortationibus, eò quòd cordi adhæreſcant, Deúsque illas imprimat bono affectu legentibus. Et cùm eſſet Viſitator Prouinciæ Arragoniæ, fecit, vt in ea agnoſcerent eius libri vſum: cuius emolumentum experientiâ illi perceperunt, inuenientes ſinguli, quacumque ex parte aperirent eum, quod animæ ſuæ conueniebat.

XXXIII.

Ioannes Nasus, ex Ord. Minorum, Suffragan. Brixinensis.

A.D. 1568. ACerrimus iste hęreticorum insectatorꝝ, Centuriâ 2. mendaciorum ab illo hominum genere sparsorum, Veritate scilicet 65. *Libellus*, inquit, *Thomæ à Kempis de Imitatione Christi per quem Deus me vocauit & pertraxit ad ordinem religiosum, centum omnino annis ante Lutherum* (cæpit is inimicus esse Ecclesię M.D.XVII) *conscriptus, atq; in lucem editus fuit. Est libellus hic adeo diuinus, vt ipsimet hæretici typis eum euulgent, nihilque in eo reprehendere poßint, quamuis Auctoris nomen supprimant.* Vide editionem Ingolstad. anni 1568. fol. 145.

XXXIV.

XXXIV.

Petrus Ribadeneira Societatis IESV.

RES à S. Ignatio Loiola gestas hic conscripsit, atq; illius in Christo filijs consecrauit Romæ Calendis Maij M. D.LXIX. Libro 1. cap. 13. hæc leguntur verba: *Thomæ da Kempis de Imitatione Christi libello plurimùm tùm vtebatur, illiúsque lectionem valdè semper probauit.* In alijs postea editionibus ista subiunxit. *Atque ita illius libri spiritum & doctrinam hausit, tam auidè arripuit, tàm perfectè in se expreßit, vt, multorum judicio, Ignatij vita solida quædam, eminens, ac viua esset imago eorum præceptorum omnium, quæ aureo illo libello continentur.* Video nomen Thomæ à Kempis desiderari in editione Ingolstadiensi Dauidis Sartorij M. D. X C. A. D. 1569.

Cuius id factum culpâ, equidem ignoro: hoc probè scio, Ribadeneiram & in Latina, & in Hispanica vita, libellum de Imitatione Christi attribuere Thomæ Kempensi.

XXXV.

Franciscus Tolensis Can. Reg. in monte S. Agnetis.

A. D. 1575. PIstorius ei cognomen, siue Artopœus, vulgò *de Backer*, natus in Tola Zelandiæ insula: in eodem, quo Thomas à Kempis, asceterio sibi Deóque viuebat. Scripsit, præfixitq; libris quatuor de Imitatio. Christi, à calamo suo Latiniori-bus, vitam Thomæ Kempensis, quem in principio vocat illius libelli parentem, & num. 10. *Caeterum*, ait, *nonnulli Gersonico nomini nimiùm addicti, quatuor de imitando Christo*

Christo libellos Ioanni Gersoni vindicare conati sunt, summam nostro Thomæ iniuriam facientes. Supersunt etiam nunc hi ipsi libri auctoris manuscripti, qui satis arguunt à Gersone numquam lectos, multò minùs profectos.

XXXVI.

Ioannes Vlimmerius Canon. Reg. Prior ad S. Mart. Louanij.

LIbros IV. Thomæ à Kempis de *Imitatione Christi*, in linguam Brabantinam à Nicolao Winghio dudum translatos, typis rursum edidit 1576. Idem Vlimmerius testatur de autographo, quod asseruatur Louanij, se ante multos annos id accepisse à FF. Montis S. Agnetis: qui affirmabant eum codicem manu ipsius Auctoris Thomæ à Kempis scriptum A. D. 1576.

ſcriptum, vti per traditionem continuam à maioribus ſuis, eiuſdem monaſterij Fratribus acceperunt. *Herib. Roſvveydus Teſtim. §. 2. num. 2.*

XXXVII.

Tilmannus Bredenbachius, ad S. Gereon. Can. Coloniæ.

A. D. 1578. VIr hic à Cornelio Loos Callidio *a*. pro merito ſuo laudatus ab integritate, doctrina, ſtudióque juuandi proximos: Inſinuationũ diuinæ pietatis, ſeu reuelationum B. Gertrudis libros V. caſtigatiores in lucem dedit, nominique viri clariſſimi *Eraſmi Vendij*, qui fuit à conſilijs Alberto Boiorum Duci, inſcripſit. In Epiſtola, quam fronti præfixit, inter alia; *Nec vanum eſt*, inquit, *quod alicubi ſcribit pientiſſimus ille Thomas Kempenſis*: Quanto

a. Catal. illuſtrium Scriptor. German.

to quis in seipso fuerit humilior, & Deo subiectior, tanto in omnibus erit sapientior & pacatior. *Lib. 1. de Imit. Christi cap. 4.*

XXXVIII.

Hieronymus Platus è Societ. IESV.

PRobatissimus; si quis alius, encomiastes Status Religiosi, lib. 1. cap. 22. ad calcem. *Verè & aptè dictum est ab optimo spiritualium rerum auctore;* (nominatur in margine Thomas de Kempis) *vt corpus ad vitam tuendam duobus indiget; cibo, quo reficiatur; lumine, quo dirigatur: sic ad vitam animi, suum item cibum, suúmque lumen esse necessarium. alterum autem esse ipsum Domini corpus; alterum Domini verbum, quod est lucerna pedibus nostris, vt ait Propheta,* Imbuit hac doctrinâ Hiero- A. D. 1585.

 nymum

nymum Thomas ex lib. ſuo 4. de Imitatione Chriſti cap. 11. n. 4.

XXXIX.

Ludouicus Carbo, Theologiæ Profeſſor Peruſij.

A. D. 1585. LIbro de interiore homine, vel de ſui ipſi⁹ cognitione, cap. 124. ex Thomæ de Kempis lib. 1. de Imit. c. 1. docet, ſolum Chriſtum dicere potuiſſe, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*, quia ſuâ doctrinâ omnes erroris & ignorantiæ tenebras diſpulit.

XL.

B. M. VVilhelmus Rothenſis, Ord. Præmonſtratenſis.

A. D. 1586. ANgelicus iſte juuenis, cuius vitam tribus libris complexus eſt R. P. Martinus Merzius, libellum vſui ſuo Dilin-

gæ

gæ sub annum 1586. concinnauit, qui succosæ pietatis condus, promúsque inseruiret. Huncce libellum, immutato nonnihil ordine, nec non à se *Thuribuli aurei* condecoratum nomine sparsit in vulgus idem, qui res gestas consignauit litteris. Ibi mi lector, in caput 29. Sacri commentarij, cuius argumentum est *De vita Religiosa*, Thomas à Kempis aliqua thuris grana coniecit è libro suo 1. de Imit. Christi, cap. 17. Vin' olfacere? hæc sunt: *Habitus & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum, verum faciunt religiosum.* THOMAS DE KEMPIS.

XLI.

Michael ab Isselt Amorfortius.

PAradisum suarũ precum cap. 12. num. 8. & cap. 14. num. 1. exor- A.D. 1589.

exornauit orationibus ex libello de *Imitatione Christi* petitis, cuius Auctorem affirmat esse Thomam Kempensem.

XLII.

Conradus Hagerus Presbyter.

A. D. 1596. VBerlingæ, liberâ Sueuorũ vrbe, annos septem denos Virginibus Deo sacratis ad D. Galli diuinis ab officijs fuit, & quæ Ecclesiastes pro concione dixit, in librum bene magnum, *De vita monastica*, coniecit, eundémque vernaculâ conscriptum nomini atque honori Episcopi Herbipolensis *Iulij* consecrauit, cui jam antè, quàm ederetur in lucem, valdè probatus fuit. Auctor illi est Thomas de Kempis illius decretoriæ sententiæ; *Melior est rusticus humilis, quàm Philosophus superbus*: quam ex lib. 1. capite 2.

de

de Imit. Christi, inseruit voluminis sui parti 1. articulo 3. *de recto vsu scientiarum & artium.* Mihi fol. 121. edit. Constantiensis, Anno 1596.

XLIII.

Iodocus Coccius, Can. Iuliacensis.

IN Thesauro Catholico, tom. 2. lib. 4. art. 2. & lib. 10. art. 1. citat librum *de Imitat. Christi*, nomine & auctoritate *Thomæ Malleoli*, cui de patria nomen est *Kempensis.* A. D. 1599.

XLIV.

Iacobus Gretserus Societatis IESV.

INuaserat atroci stylo Vitam Diui Ignatij à Ribadeneira conscriptam Caluinianus quidam Christianus Simon Lithus A. D. 1599.

 Misenus.

Misenus, quem vnâ, alterâ, tertiáque apologia confutauit Gretserus. Legerat misellus Misenus Ignatium, abiecto Erasmo Roterodamo, vsum esse libello de Imitatione Christi: hîc exclamat lapide vecordior Lithus; *Quid libri sit, nos miseros Germanos latet. Quintum fortaßis Euangelium cœlitus delapsum nactus est Ignatius.* Hunc impium Christianum ita plectit antagonistes. *Itáne Germanos latet libellus de Imitat. Christi Thomæ de Kempis, qui vulgò Gerson dicitur; Latinè & Germanicè toties editus, quem nocturnâ diurnáq; manu omnes illi Germani versant, quibus Deus & pietas curæ & cordi? Ostendis te valdè peregrinum & hospitem esse in variorũ Auctorum notitia, si auctor tam tritus & obuius tibi ignotus est: qui quidem liber non quintum Euangelium explicat, sed saluberrima rectè viuendi præcepta,* ex

ex quatuor vsitatis, & à Catholica Ecclesia receptis Euangelijs depromit. Crede mihi, Misene, si te lectioni Thomæ de Kempis dares si ad aurea illius dicta & monita animum aduerteres, paulò pòst Misenus non fores, Metamorphosi non Ouidianâ, sed Christianâ.

XLV.

Ioannes Dauid è Societate IESV.

VEridicus Christianus (id libro nomen est vtili, jucundo, ingenioso) capite 73. quærenti; A. D. 1601.

Vespere quem mulcet liquida ac
sincera voluptas?

Responsio, inquit, *ex breui Thomæ de Kempis sententia manifesta est:* Gaudebis semper vespere, si diem expendas fructuosè. *De Imitat. Christi lib.* I. *cap. vltimo.*

XLVI.

Aubertus Miræus, Canonicus Antuerpiensis.

A. D. 1602. SÆpius hic ad partes vocandus, quia toties testimonium dicit, quoties Thomæ memineris. In Centuria Belgicorum Scriptorum, his testificatur verbis: *Varia conscripsit Orbis terræ judicio ac testimonio comprobata; in quibus illud mirandum, horrido illum cælo ac solo natum, cùm Latini sermonis mundities neglecta jaceret, tantum esse assecutum humili illo, quod consectabatur, dicendi genere. Aureum illum de Christi Imitatione libellum, & non modò de manibus numquam deponendum, sed & ad verbum ediscendum, tamquam Pietatis myrothecium (ut jure omnium gentium linguis hodie legatur) Gallia aliquando Ioannis Gersonis nomine sibi vindicare conata est.*

In Chronicis à Christo nato vsq; ad sua tempora, hæc de Thoma Kempensi ad annum 1471. *Thomas Kempensis, Canonicus Regularis Augustinianus, Congregationis VVindeshemensis, vir eximiæ in Deum pietatis, vt aurei ipsius de Christi Imitatione testantur libelli, in monte S. Agnetis, cœnobio apud Suollam oppidum sito, obdormit.*

Libro de Originibus Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, capite 88. de Monte S. Agnetis ita scribit: *Mons S. Agnetis, prope Suollam Transisalanæ prouinciæ oppidum, anno 1398. fundatus est. In hoc monasterio vixit & obiyt Thomas à Kempis, vir pijssimus, vt inter alia eius opera testatur eiusdem liber de Imitatione Christi: QVI SEQVITVR ME, nuncupatus.*

In Fastis Belgicis & Burgundicis, die 25. Iulij: *Thomas Kempensis scripsit varia, unum in corpus*

ab Henrico Sommalio digesta, inter quæ eminet verè aureus de Imitatione Christi libellus: quem sanctissimi Viri, Cardinalis Borromæus, Ignatius Loiola, Philippus Nerius, Robertus Bellarminus, & alij quotidie lectitare sunt soliti.

XLVII.

Antonius Posseuinus è Societ. IESV.

A.D. 1602 NEqueo satis mirari, aduersarios velle Posseuinum ad partes Gersenianas pertrahere: sed ipse pro se loquatur ex Apparatu Sacro, dum Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis monumenta recenset. *Aliquorum Gersonis operum, quoniam nonnulla interiere, alia verò forsan alicubi delitescunt, neque adeo defuerint, qui eidem adscripserint, quæ non censentur esse fœtus ipsius; quales sunt Commen-*

mentarij in 7. Psalmos Pœnitentiales, qui Petri de Alliaco esse existimantur: & qualis est liber de Imitatione Christi, varijs jam linguis editus, cuius fuit auctor Thomas de Kempis: nos, ne quid eorum, quæ nobis potuere esse comperta, omittamus, primò Catalogum adtexemus, &c. Vides, mi lector, Posseuinum pro Commentarijs in 7. psalmos pœnitentiales vsurpare verbum dubium, *Existimantur esse Petri de Alliaco*: libri autem de Imitatione Christi, absolutè & rotundè dicit, *fuit auctor Thomas de Kempis*: Et *auctor* non scriptor, aut descriptor tantùm. Clarius pro se loquitur, dum agit de Thoma Kempensi, hunc in modum. *Vbi de Ioanne Gersone egimus, nos secuti communiorem sententiam, atque item eorum, qui in Belgio autographum librorum de Imitatione Christi asseruari nobis scripserunt, eosdem tribuimus Thomæ de*

Kempis

Kempis: facere tamen haud possumus, quin huc adyciamus, quæ à Bernardino Rosignolio Societatis nostræ Theologo accepimus, qui rem diu perpensam vestigauerat, &c. Hæc Posseuinus, qui, quæ à Rosignolio acceperat, nec approbat, nec improbat, sed in medio relinquit. Quomodo ergo stat pro Gersene? Quàm vera sint, quæ Rosignolius cecinit, infrà videbimus. Homo fuit cùm doctus, tum sanctus: ex humanæ igitur diuinæq; adytis sapientiæ, humani nihil à se alienum reputauerit.

XLVIII.

Alphonsus Rodriquez, Societ. IESV.

A. D. 1606. INtegram Iliadem pertexam, necesse est, si vbi meminit Thomæ à Kempis, cúmque libri *de Imitatione* auctorem facit, recensuero. Nunc laudes ipsius

carptim

carptim, vt quæque in manus venerit, consignabimus, indicatis solummodo locis. Vide igitur exemplar siue Hispanicum, siue Latinum, Parte I. Exercitij de Perfectione, Tract. 1. c. 1. Tract. 2. cap. 5. Tract. 7. cap. 6. Tract. 8. cap. 20. 25. 28. 31. Parte II. Tract. 1. cap. 1. Tract. 2. cap. 2. 5. Tract. 3. cap. 8. 14. 19. 22. 33. Tract. 4. cap. 5. Tract. 5. cap. 2. Tract. 8. c. 2. 12. Parte III. Tract. 5. cap. 10.

XLIX.

Patres Poloni Soc. IESV.

HOrum præcipuus fuit Fridericus Bartscius, Prutenus, Sigismundo III. Poloniæ Regi ab arcanis conscientiæ. Ediderunt anno 1607. Cracouiæ Thesaurum precum, ac variarum instructionum atq; exercitationum spiritualium, ex probatis A. D. 1607.

batis Auctoribus collectum. Libro 4. cap. 7. suadent pios lectitare libellos; *Puta*, inquiunt, *Thomam de Kempis de Imitatione Christi*, &c.

L.

Auctor Faculæ Sacerdotum.

A. D. 1607. LIbellus Duaci anno 1607. impressus, cui nomen *Facula Sacerdotum*: eam Thomas à Kempis maximam partem accendit ex libro suo tertio & quarto *de Imitatione Christi*.

Nequeo sanè hîc silentio prætermittere consimilis argumenti librum, Moguntiæ formis Hermanni Meresij An. 1626. denuo recusum: Paraphrasticam, aio, S. Canonis Missæ expositionem, cum declaratione cæremoniarū, ac mysteriorum illius incruenti sacrificij ante annos centum à Michaele

Michaele Episcopo Mersburgensi conscriptam: additis modò multis è quarto Thomæ à Kempis libro de Imitatione Christi, tum ante, tum post diuinam synaxim peragendis.

LI.

Iacobus Aluarez, Societatis IESV.

EX vltimo Peruano regno gemmis omnibus nobilius opus *De vita spirituali, eiúsque perfectione* in Europam misit, & S. D. Paulo V. Pont. Max. nuncupauit: Præfatione in vniuersum opus; *Quoniam non ardenter,* inquit, *sed tepidè & oscitanter quæritur, aut omnino non quæritur, ideo non inuenitur in Sanctis religionibus, vt par erat, virtutum, ac perfectionis fructus. Hoc enim est, quod Thomas à Campis auctor pijssimus, & venerabilis, satis prudenter plorat, dum ait;* A. D. 1608.

ait; Quia verò plures magis student scire, quàm bene viuere, ideo sæpe errant, & penè nullum, vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicuti ad mouendas quæstiones, non fierent tanta mala & scandala in populo, nec tanta dissolutio in cœnobijs. Thom. à Campis. 1. de Imitat. Christi. cap. 3. n. 5. Vt reliqua præteream lib. 5. part. 3. cap. 33. de hoc libro & auctore ita loquitur. *Thomas à Campis in illo suo libello, quem viri spirituales semper præ manibus habent, ita ait: Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione aliquod malum est faciendum, &c. Thomas à Campis lib. 1. de contemp. mundi cap. 15. num. 1.*

De vita religiosè instituenda, non quam libello gracili Consaluus Barnouus noster ex opere *De exterminatione mali, & promotione boni*

boni excerptam vulgauit; ſed quã auctor ipſe, loco ſectionum ſex in quas libellum Barnouus tribuerat, totidem libris complexus eſt, dum lib. 3. cap. 9. tractat de ipſo opere ſumptionis Euchariſtiæ; *Ecce*, inquit, *Noë vir juſtus in arcæ fabrica centum annis laborauit, vt cum paucis ſaluaretur, & ego quomodo me potero vnâ horâ præparare, vt mundi fabricatorem cum reuerentia ſumam? Thom. à Camp. lib. de Sacram. altaris, cap. 1.*

LII. LIII.

Ioannes à Detten, Can. Monaſterienſis: & Dauid Gregorius Cornerus, Abbas Gottvvicenſis.

LIbrum Precationum primus collegit è SS. Patribus & Scriptoribus antiquis, eiq; titulum fecit, *Antiquorum Patrum liber*, contra eiuſdem tituli librum A. D. 1609. 1610.

librum pestilentē hæreticorum. Inter sanctos illos fors quoque fuit Thomæ Kempensis, qui volumen auxit è libro suo tertio *de Imitatione Christi, cap. 30. & 53.* Item *ex libri quarti, capite 12.* Lucem aspexit M. DC. IX.

Similem suscepit laborem Reuerendissimus & Magnificus Dominus Dauid Gregorius Cornerus, Abbas Gottvvicensis Ordinis S. Benedicti in Austria, qui edidit anno 1610. Promptuarium Catholicæ deuotionis, ex SS. litteris, SS. Patribus, & optimis quibusque tum veterum tum recentiorum auctorum libris in vsum piè precari volentium, maximè Sodalium B. M. V. Thomæ Kempensi tribuit libros *de Imitatione Christi* parte 1. cap. 4. num. 1. P. 2. cap. 5. num. 7. & 8. P. 5. cap. 2. num. 4. Recudit non ita nuper typis perelegantibus in suo monasterio.

nasterio; sed librum mihi huc vsque non licuit videre.

LIV.

Petrus Opmeerus.

SCRIPSIT Opmeerus Opus Chronographicum ab orbe condito ad annum 1580. Laurentius Beyerlinck prosecutus est ab anno 1580. vsque ad 1612. quod Chronici Opmeriani auctarium est. In isthoc Orbis vniuersi Opere chronographico, Tomo 2. *a*. laudatur Thomas de Kempis, quia libellum *de Imitatione Christi* scripsit. A.D. 1611.

LV.

Ignatius Balsamon, Soc. Iesu.

TRactatu de Perfectione religiosa, Documento 2. dum agit de lectione spirituali, præcipit, vt legantur *Opera spiritualia* A.D. 1612.

M *tualia*

a. fol. 402. *Edit. Antuerp. anni* 16 1.

tualia Thomæ de Kempis, maximè libellus de Imitatione Christi. Instruct. de vera rectè orandi & meditandi methodo, cap. 13. in catalogo librorum spiritualium, qui omnibus maximè vtiles sunt, agmen ducit *Thomas de Kempis de Imitatione Christi.*

LVI.

Congregatio Ecclesiastica B. Mariæ Virginis Coloniæ.

A.D. 1612. IN fine Regularum suarum, quas impressit anno 1612. ex Thoma de Kempis conterraneo ac diœcesano suo, caput 7. & 9. libri quarti *de Imitatione Christi* ad verbum transcripsit.

LVII. LVIII.

Auctor Vitæ Ludouici Granat. & Valerius Andreas Taxander.

A. D. 1614. IS, qui res à sapientissimo sanctissimóque P. Ludouico Granatensi

natenſi geſtas litteris conſignauit, vbi de libris ab hoc in lucem emiſſis meminit capite ſeptimo, libros IV. *de Imitatione Chriſti* non tántùm in Hiſpanicam linguam conuertiſſe, ſed etiam cui Auctori attribuerit, luculentis atteſtatur verbis: *Interpretatus eſt in linguam Hiſpanicam opus S. Ioannis Climaci,* Scala Paradiſi *nuncupatum, additis ad priora V. capita annotationibus: Librũ item illum pium THOMAE à KEMPIS Can. Reg. de Contemptu mundi, adiunctis locorum difficiliorum explicationibus & notis.* Idipſum ſeptimo priùs anno Valeri⁹ Andreas Taxander aſſeverauit in Catálogo clarorum Hiſpaniæ ſcriptorum: *E Latino aureum illum THOMAE Kempenſis libellum de Imitatione Chriſti conuertit, teriturque omnium manibus. Item Ioannis Climaci Scalas vertit.* Prodiit Catalogus Moguntiæ M. DC. VII. Vita Coloniæ M. DC. XIV.

LIX.

Ioannes de Carthagena, Ord. Minorum de Obseruantia.

A.D. 1615. Eximius hic Theolog⁹, summique nominis concionator, tomo 2. Homiliarum de sacris arcanis Deiparæ & Josephi, lib. 11. hom. 8. cùm verba facit de obedientia præstanda superioribus; *Huc*, inquit, *facit, quod breuiori sermone complexus dixit vir ille, pietate insignis Thomas de Kempis lib. 3. de Imitatione Christi, cap. 13. Qui non libenter & sponte suo superiori se subyciunt; signum est, quòd caro eorum necdum perfectè illis obediat, sed sæpe recalcitret, & murmuret.*

LX.

Iacobus Gaulterius, Soc. Iesu.

A.D. 1616. IN tabula Chronographica sæculi 15. Veritate 8. §. 2. ita scri-

ſcribit: *Thomas de Kempis in excellenti Opere ſuo de Imitatione Chriſti, Vitam Religioſam magnis laudibus extollere non deſiſtit.*

LXI.

Nicolaus à Montmorency, Eques auratus, Comes de Eterra, &c.

SCripſit *Diurnale Pietatis* in quatuor partitum partes, dedicauitque Sereniſſimo Archiduci Auſtriæ Maximiliano, Magno Teutonici Ordinis Magiſtro. Paſſim ſuppetias illi tulit Thomas de Kempis; ſed mihi ſufficiat, ex Parte 4. Exerc. 3. vbi agit de ijs, quæ ante & poſt communionem agenda, oſtendere, ab illo Thomam Kempenſem haberi auctorem libelli *de Imitatione Chriſti:* nam ex lib. 4. cap. 3. n. 1. & cap. 11. n. 1. conflata eſt oratio pro *dulcedine, gaudio ſpirituali, vnione, & amore ante S. Communionem,* A. D. 1616.

LXII.

Heribertus Rosvveydus, Soc. JESV, Vindex Kempensis.

A. D. 1617. POsteaquam Constantinus Caietanus Abbas Ord. S. Benedicti, anno M.DC.XVI. Thomam Malleolum Germanum, in Coloniensis diœceseos oppido Kempis natum, in jus traxit, & religiosum virum peculio suo, quod duobus integris sæculis jam obtinuerat, ex improuiso nudare, manupretio priuare, immo vitâ posthumâ spoliare conatus est; *Vindicias* hic conscripsit, quibus, vt loquitur Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus, & librorum censor Antuerpiensis, librum de Imitatione Christi *egregiè auctori suo solidissimis rationibus vindicauit:* cuius rationes Roberto Card. Bellarmino plenissimè satisfecerunt: qui, teste Bzouio Tom, 18. Annal.

Ec-

Ecclesiast. ad annum 1471. *inuincibilibus argumentis demonstrauit*, opusculum aureum de Imitatione Christi, neque Gersonis, neque Gersenis, sed THOMÆ Kempensis partum genuinum esse.

LXIII.

Philippus Bosquierus Ord. Minorum Reg. Obseruantiæ.

QVartâ naufragij Tabulâ, in Præfatione de libris à se editis sic infit. *Nonnunquā contingit temporum lapsu, alijs aliorū lucubrationes falsò adscribi, vt D. Hieronymo quædam, quæ sunt Sophronij; D. Augustino, quæ sunt Bedæ, aut alterius; Ioanni Gersoni Imitatio illa Christi, quæ est Fr. Thomæ de Kempis.* A. D. 1618.

LXIV.

Constantinus Ghinius Senẽsis, Can. Reg. S. Saluatoris Ord. S. Augustini.

A. D. 1621. IN Sanctorum Canonicorum natalibus ad diẽ 29. Decemb. *Floruit & Thomas de Kempis, natione Teutonicus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, montis S. Agnetis Virginis & Martyris prope Zuollam, in diœcesi Traiectensi: Qui ab ineunte ætate conuersatione laudabilis, eundem habitum suscepit, & litteris, & sanctæ vitæ conuersatione multùm profecit, & sanctissimæ Virginis Matris Dei Mariæ fuit cultor præcipuus semper, & deuotus amator. Scripsit de Contemptu mundi.* Qui est hic ipse libellus controuersus.

LXV.

LXV.

Iulius Nigronus è Soc. Iesu.

CVius fragmentum littera- rum, ad se 11. Januar. 1617. datarum, inseruit Caietanus capiti sexto & nono Apologiæ, quasi pro Gersene staret. Scripserit sanè Nigronus eam epistolam anno 1617. cùm posterior dies magister sit prioris, quid anno 1621. pro Thoma Kempensi typis ediderit, sic lector breuiter accipe. A. D. 1621.

Tractatu *De cura minimorum*, qui approbatus est Romæ Kalendis Augusti, 1620. impressus Mediolani 1621. *Nemo nostrum*, ait, *annos in vita religiosa consumptos gloriosè numeret, (quod Thomas Campensis quoque meritò vetat) sed victorias de Carne, Dæmone, Mundo, seipso, sed rectè facta. Thom. Kemp. l.*

1. de Imit. cap. 23. Reperies hæc verba parte 5. hortamento 6. in fine. Et vbi Gerſen, de quo invento tantopere corã Caietano gaudebat Julius Nigronus? Tract. *De neceſsitate & vtilitate Magiſtri ſpiritualis*, cap. 2. cauſsâ 3. §. 22. fin. ſuggeſſit Thomas Kempenſis iſtã gnomen: *Propter priuatum amorem facilè perdimus verum judicium. Lib. 1. de Imit. Chriſti c. 14 n. 1.* Nihil hîc prolatum è Gerſenis penario. Tract. *De lectione priuata librorum ſpiritualium*, cap. 3. §. 15. mirificê laudat opuſculum, de quo verba facimus. *Qui quatuor libros*, inquit, *ſcripſit de Imitatione Chriſti, mirabiliter præcipit, mouet affectus, ſuavitate ſpirituali corda legentium replet, ſemper nouus, ſemper admirabilis, ita vt decies repetitus placeat. Iuvat per hanc occaſionem aliquid de hoc aureo libello diſſerere; qui mihi continere videtur ſuccum totius vitæ ſpiritualis,* com-

compendium perfectionis, quintam, ut ita dicam, essentiam religiosæ vitæ ac sanctitatis, diuturnæ meditationis alambico per virũ experientissimum expressam, tum ex aliis spiritualibus libris, tum ex unctione Spiritûs Sancti. Si fas est sacris profana componere, quod L. Seneca de libro Q. Sextij Stoici nimis superlatè scripsit, multò veriùs, paucis mutatis verbis, dicere licet de hoc aureo libello. Quantum in illo vigoris est, quantum animi! Hoc non in omnibus Philosophis reperies. Quorundam scripta clarum habent tantùm nomen: cætera exsanguia sunt. Instituunt, disputant, cavillantur; non faciunt animum, quia non habent. Cùm legeris Sextium, dices; Viuit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quacumque positione mentis sim, cùm lego hunc, (fatebor tibi) libet omnes casus provo-

care.] Hactenus Nigronus, quem, quis horum librorum sit auctor, in Indice consule: *Thomæ de Kempis*, ait, *liber de Imitatione Christi laudatus & lectitatus à viris sanctis. Tract.* 5. §. 15. Non autem Gersenis. Tractatu *De secessu & exercitijs spiritualibus*, cap. 3. §. 12. *Thomas à Kempis caput vndevigesimum primi libri inscripsit de exercitijs boni Religiosi, quæ sunt renouatio boni propositi, scrutatio sui ipsius, lectio, scriptio, oratio, meditatio, labor manuum. Thom. à Kemp. l. 1. de Imit. Christi, cap. 19.* Tractatu *De diligentia spirituali* cap. 5. §. 24. *Obsigno tertium hoc incitamentũ gemmulâ ex libello de Imit. Christi, in quo vita spiritualis succus expressus est: sine sollicitudine & diligentia nunquam acquires virtutes. Verè, vt cætera omnia, Thom. Kemp. lib. 1. de Imit. Christi c. vlt.* Crevítne hæc gemmula in concha *Canabacciana*? aut in terra *Gessen*? Tra-

ctatu

ctatu eodem, cap. 6. §. 38. *Thomas Kempensis expertus Magister: Si dederis te ad feruorem, inuenies magnam pacem, & senties laborem leuiorem propter Dei gratiam, & virtutis amorem. Homo feruidus ac diligens ad omnia paratus est. Thom. Camp. l. 1. de Imit. Christi. c. ult.* Tract. *De duplici ordine* cap. 4. §. 27. *Thomas à Kempis concordat cum Vmberto & Augustino, cùm ait: Cauendum tamẽ, ne piger sis ad communia.* Thom. Kemp. l. 1. de Imit. Christi cap. 19. Tractatu *De peculiaribus amicitijs exterminandis*, cap. 3. §. 13. *Secutus est Lucas Pinellus in libro, quem Italicè scripsit, De religiosa perfectione, ad imitationem aurei Libelli Thomæ Kempẽsis De imitatione Christi.* Tract. eodem, cap. 6. §. 49. THOMAS à KEMPIS: *Propter priuatum amorem facilè peruertimus verũ judiciũ.* Et; *Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas. Thom. Kemp. lib. 1.*
 de

de *Imit. Christi* cap. 14. & 15. Alio in loco: *Fili diligenter adverte motus Naturæ & Gratiæ; quia valdè contrariè & subtiliter mouentur, & vix nisi à spirituali, & intimè illuminato homine discernuntur. Thom. Kemp. lib. 3. de Imit. Christi. cap. 54.*

Tract. eodem, cap. 8. §. 57. *Thomas à Kempis magnus Magister virtutum, De cauenda nimia familiaritate caput scripsit & inscripsit; in quo illa sunt gravissima verba in rem nostram: Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Thom. Kemp. l. 1. de Imit. Christi. cap. 8.*

Eodem tract. & capite, §. 59. ex Thomæ à Kempis libro 3. de Imit. Christi nonnulla mutuatur, quæ non pigeat legere; *Cautus esto, quidam ait, cautus esto: serua apud te, quod dico. Et, dum ego sileo, & absconditum credo, nec ille silere potest, quod silendum petit, sed statim prodit*

se &

se & me, & abit. Atque hæc Iulius Nigronus ex inuento Gersene, quem argutè conjecturauit fictum esse ex Gersone.

LXVI.

Eminentißimus S. R. E. Cardinalis Robertus Bellarminus è Soc. Iesu.

OBnunciauerat quondam Thomæ Kempensi lib. de Script. Eccles. cùm de Ioanne Gersone ageret: *Valde probabile est, auctorem illius opusculi* (de Imitatione Christi) *esse Ioannẽ quendam Abbatem de Gersen, siue de Gessen, vt habet inscriptio vetustißima huius libri, in codice manuscripto, qui asseruatur in monasterio Aronensi, quod olim fuit Monachorum S. Benedicti, & nunc est domus Nouitiorum Societatis IESV. Et hinc apparet hoc opus tributũ fuisse Ioanni Gersoni* A. D. 1621.

soni propter similitudinem nominis; quia verus auctor erat Ioannes de Gersen: & tamen quia non inueniebatur hoc opus inter opera Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis, tributum fuisse Thomæ de Kempis, ob similitudinem aliquam styli. Post annum 1610. cœpit dubitare, cuius esset, Ioannis de Gersen, an Thomæ de Kempis? *Posteaquam hæc scripseram, incidit in manus meas Præfatio Henrici Sommalij in libros de Imitatione Christi editos Romæ, anno 1610. in qua præfatione affirmat idem Henricus, inuenisse se hos libros, manu ipsius Thomæ de Kempis conscriptos in Bibliotheca Canonicorum Regulariũ S. Martini apud Lonanium. Et quoniam magni facio testimonium Henrici Sommalij, qui & Ordinis mei est, notæ probitatis, & doctrinæ, nec tamen audeo superiorem conjecturam prorsus reijcere: idcirco rem in medio pono, & lectori judi-*

judicium relinquo. a. Lectis Heriberti Rosweydi Vindicijs Kempensibus, & perpensis vtrinque rationibus, ita anno 1621. in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis post recensita Thomæ à Kempis opera, edi curauit: *Scriptos & compositos fuisse ab eodem Thoma libros de Imitatione Christi suprà scriptos, contrarijs coniecturis euersis, demonstrat euidenter in Vindicijs Kempensibus Heribertus Rosvveydus Societatis IESV: cuius mihi rationes plenißimè satisfecerunt, & sententiam penitus amplector.* Porrò hæc palinodia Bellarminiana oretenus facta est, & non ab ipso viuo libris suis inserta: verùm quòd de mente ipsius constaret, posteriori de Scriptoribus editioni adscripta est. *b.* Quæ adversus testimonium istud adversarij moliuntur, tunc vide-

a. edit. Colon. 1613. de Gersone. b. VVerlinus p. 1. Rosvveydi rediuiui §. 5. fol. 86.

videbimus, cùm Gerſenianos teſtes ad prætorem citabimus.

LXVII.

Balduinus Iunius, Ord. Minorum.

IN Quarta parte Chronici moralis ad annum 1471. *Thomas Kempenſis, Can. Reg. Auguſtinianus Congregationis VVindeshemenſis, vir eximiæ in Deum pietatis, vt aurei illius de Chriſti imitatione libelli teſtantur, in monte S. Agnetis, cœnobio apud Svollam oppidum ſito, obdormit.*

A. D. 1622.

LXVIII.

Georgius Voglerus S. I.

OTioſi hominis eſt, qui enumeret, quoties hic Germanicus ſcriptor, eo in libro, quem *Fontem conſolationis* indigitauit, ſolatia petat è diuino

A. D. 1623.

uino Thomæ Kempensis libello *de Imitatione Christi.* Consule, si experimentum capere placeat, libri primi caput sextum, vbi duodecimùm functus est munere paracleti; caput item decimum eiusdem libri §. 8.

LXIX.

Henricus Spondanus.

IN Auctario Chronologico ad Annales Baronij Anno 1412. *Florebant inter alios præstantes doctrinâ viros, Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis & Cardinalis, Ioannes Gerson Cancellarius vniuersitatis Parisiensis, Thomas de Kempis, auctor aurei libelli de Imitatione Iesu Christi.* Tomo 2. continuationis Baronij, Anno Christi 1471. num. 15. *Inutili labore fatigarunt sese, qui prædictum commentarium de Imitatione Christi alicui alij, quàm ipsissi-*

A.D. 1623.

ipsissimo ipsi Thomæ, adscribere voluere.

LXX.

Servatius de Lairvelz, Ord. Præmonstrat. Abbas S. Mariæ Maioris Mussipontanæ.

A.D. 1623. IN Catechismo Novitiorum tomo 1. lect. 17. reg. 6. quater adducit testimonium Thomę Kempensis ex lib. 1. de Imit. Christi cap. 25. *Kempianus*, ait, *ad hunc fervorem nobis ingerendum, causam nostri in Monasterium ingressûs (videlicet ad Deo fideliter serviendum) nobis ponit ob oculos, his verbis: Esto vigilans & diligens in Dei servitio, & cogita frequenter, Ad quid venisti? & cur sæculum reliquisti? Nonne vt Deo viueres, & spiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferueas &c.* Et mox; *Testis est idem Kempianus, inquiens: Religiosus feruidus omnia bene*

bene portat, & capit, quæ illi iubentur: Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem &c. Iterum, *Quare monet Kempianus his verbis: Memento semper finis, & quia perditum non redit tempus.* Denique: *Enimverò inquit citatus Kempianus: Illi maximè præ cæteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis grauia & contraria sunt, viriliùs vincere nituntur.*

LXXI. LXXII.

Maximilianus Sandæus, & Ioannes Les Pessier S.I.

SCripsit prior *Platonem Christianum, seu de Morte* libros tres. Coronidem vniuerso imponit operi Thomas à Kempis, toto capite 23. libri primi *de Imitatione Christi.* Edidit alter Incitationem ad amplexum Crucis ex ipsis verbis Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi* contextam. A. D. 1624.

LXXIII.

Hieremias Drexelius è Soc. IESV.

A. D. 1624. NIcetæ, seu de triumphata Incontinentia lib. 2. c. 3. §. 2. Syllabum dat eorum librorum, quos adolescentibus, juvenibus, viris, præ millenis alijs vtilissimos censet. In his est *Imitatio Christi Thomæ de Kempis.*

LXXIV.

Gabriel Pennottus, Can. Reg. Lateran. S. Iuliani apud Spoletum Abbas.

A. D. 1624. IN historia Tripartita Canonicorum Regularium, lib. 1. cap. 32. §. 3. *En tibi exemplum libri de Imitatione Christi à Venerabili Thoma Kempensi Regulari Canonico editi, quem Constantinus Caietanus, vt suo cuidam confictò Abbati Ioanni Gersen, siue Gessen, siue de Gessate adscri-*

scriberet; nondum enim de vero auctoris cognomine apud illum constitit, exemplum produxit ex vetusta monachorum D. Benedicti Bibliotheca, olim in monasterio S. Gratiani apud castrũ Aronæ, ditionis illustrissimæ familiæ Borromæorũ, postea verò Domo Probationis Societatis IESV acceptũ, cum nomine dicti Ioannis Gessen passim in fronte non solùm primi libri, sed etiam secundi, tertij, & quarti prænotatum. Et tamen ex confessione illius, qui librum illuc tulerat, quique in humanis adhuc agebat, deprehensum est, librum non ex antiqua monachorum bibliotheca asseruatum, sed ex paterna domo, quando ad sumendum probationis habitum illud accesserat, secũ delatum. De qua re videre potes libellum eruditissimi Doctoris Heriberti Rosvveydi ex Societate IESV, titulo Vindiciarum Kempensium prænotatũ.

Libro 2. cap. 65. §. 5. *Thomas de Kempis toti iam orbi conspicuus, de*

cuius

cuius laudibus cùm multi multa præclarè scribunt, tum inprimis edisserunt Trithemius in libro de Viris illustribus Germaniæ, & in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & nouißimè Heribertus Rosvveydus in libro, quem Vindicias Kempenses adtitulauit: cuius viri opera quodmodò notißima sint, & piorum omnium manibus terantur, illorum indicem hic texere opus non erit. Scripsit autem inter alia Opus illud aureum, nec satis vnquam laudatum, & vel ab ipsis Turcis & infidelibus magno in pretio habitum, De Imitatione Christi, quatuor libris distinctũ. Hoc opus à caulis Kempensibus abegerat Constantinus Caietanus monachus ex ordine S Benedicti, vt suo cuidam Ioanni Gessen, siue Gersen, siue de Gessate (necdum enim de cognomine illi satis constitit) adscriberet, quem in monasterio S. Gratiani Castri Aronæ

ad

ad littus Verbani, in agro Mediolanensi, olim sui ordinis S. Benedicti, Abbatem finxit. Cæterùm idem Opus ab auctore non vero, & illegitimo Domino vindicatum, suo legitimo restituit Heribertus Rosvveydus libello ea de causa edito, cuius est titulus Vindiciæ Kempenses: in quo euidenter probat, ipsum Opus de Imitatione Christi, quod incipit; Qui sequitur me &c. ipsi Venerabili Thomæ de Kempis adscribendum, cùm ex multis, tum ex autographo eiusdem Thomæ charactere exarato, quod in suo Belgio fatetur asseruari. Scio replicasse Constantinum Caietanum. Verùm quòd in eius repetitione noui nihil additum, nec vbi liber impressus fuerit, vel cuius auctoritate, ex illius impreßione constare potest, nec ipse Rosvveydus plura addere dignum æstimauit, nec ipse addo. Hactenus Pennottus, vir magnâ diligentiâ & eruditione, in sua *eruditißima, & nunquam satis lau-*

data historia Lateranensi, vt ait Dominicus Grauina parte 2. de voce Turturis, cap. 4.

LXXV.

Cornelius à Lapide, Soc. Iesu.

A. D. 1625. Comment. in Osee prophetam cap. 2. vers. 14. *Memorabilis hac in re fuit Thomas à Kempis*, (quem ibidem paulò antè Theodidactũ appellauit) *auctor libri de Imitatione Christi, anno Domini 1441. qui inter fratres sui Ordinis occupatus, cum ijsque colloquens, quoties sentiebat cælestis sponsi vocem & inspirationem, se quasi sponsam ad colloquium euocantem, humiliter, sed liberè fratribus valedicens, & secedens aiebat:* Charissimi fratres, oportet me secedere; est enim, qui in cella me expectat. *Illico ergo in cellam se proripiens, deuotè instar Samuelis dicebat:* Loquere Do-

Domine, quia audit seruus tuus. *Ita habet eius vita à viro graui ipsi coæuo conscripta. Lege caput 20. lib. 1. & videbis profunda eius sensa de amore solitudinis & silentij, ac asseres eum in cella ex Dei instinctu hausisse illum cælestem spiritum, quem ipse cuique eius libellum legenti jugiter exhalat, & afflat.*

Ecce, inquietis adversarij, Cornelius Thomam facit auctorem libri de Imitatione Christi anno 1441. illo anno dicit primùm ab eo compositum fuisse: nostri autem codices multò sunt antiquiores. Corneli9 nō dicit anno 1441. Thomam primò composuisse, sed cùm sciret homo Belga, in Domo Professæ Societatis IESV Antuerpiæ asseruari Thomæ Kempensis autographū ab auctore hoc anno denuo descriptum, illum annum nominauit, ex quo infallibiliter constaret, quo tēpore vixisset au-

ctor libelli, non verò quo primitus fuisset in lucem datus. Autographum igitur, non protographum; auctoris, qui sua sæpius describere solebat, ectypon insignitum anno apographiæ, non archetypon adduxit in testimonium.

LXXVI.

Ioannes Niess è Soc. IESV.

A. D. 1625. COncinnauit elegãs & percommodum *Calendarium Thomæum*, in quo per singulos totius anni dies ex libris *de Imitatione Christi* selectam sententiam proponit. In Epistola ad Sodales Parthenios; *Ne ignoretis*, inquit, *quorsum hoc nostrum Calendarium spectet, paucis edissero. Solent Mathematici, quod nostis, ijque omnes, quibus spectio, aut seruatio de cælo curæ est, multa sæpe denunciare, promittere, minari: prout quisque nostrûm sideribus obnoxius, nouit vel tem-*

temporibus seruire, vel se cælestium signorum legibus, aut motibus accommodare. Quod ergo Astrologia corporibus, hoc animis vaticinari nostris solet aureus ille de Imitatione Christi libellus, cuius vulgò auctorem Thomam Campensem dicunt. Atque illa certè iam dudum in comperto est experientia, vt quemcunq; sibi ex diuino hoc Opusculo locum quisque sortiatur, ille morbum animi, si quis est, tangat, miserum consoletur, abjectum erigat, timidum animet, præfidentem coërceat, sceleratum castiget, rudem doceat, eruditum in officio modestiæ & demißionis contineat. Quid multa? certiùs in nullis Ptolemæi fastis reperietis, quid quouis die cauere, quid sequi debeatis, quàm si huius libelli præclara oracula è manibus nunquam atque animis deponatis.

LXXVII.

Silvester Petra-sancta Soc. IESV.

A. D. 1626. VErtit ex Italico P. Iacobi Fuligatti Latinè vitam Roberti Card. Bellarmini, & libro 2. cap. 8. *Liber*, inquit, *quotidianarum paginarum erat ei THOMAE à Kempis diuinum opusculum de Imitatione Christi, de quo in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*; Ego, *inquit*, ab adoleſcentia mea, & vſque ad ſenectam, hoc opuſculum ſæpiſſime volvi, & reuolvi, & ſemper mihi nouum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo ſapit.

LXXVIII.

Henric⁹ VVangner-eckius Soc. IESV.

A. D. 1626. SCripſit nouo Alphabeti ordine, ſed ijſdem verbis, perlo-

locos communes digesta *Elementa Christianæ perfectionis*, à Thoma de Kempis quatuor libris de Imitatione Christi olim comprehensa. Ex præfatione hæc delibo. *Ad Elementa te vocamus, Christiane lector, non litteraria puerorum, nec Geometrica Euclidis, sed cælestia Thomæ de Kempis, quæ ille iam olim, aureis quatuor de Imitatione Christi libris, ita feliciter ac salubriter complexus est, vt post sacra Euangelia, vix alius liber de Christiana perfectione, sublimiùs, vtiliúsque scriptus videatur. Vnde apud Sanctißimos maximósque viros summo semper in pretio ac vsu fuit. S. Ignatius certè, Societatis IESV parens, singulis diebus, duo huius libelli capita perlegisse scribitur, atque ita illius spiritum atque doctrinam hausisse, vt Ignatij vita solida quædam, eminens, ac viua esset imago eorum præceptorum omnium, quæ aureo illo libello continentur. Quo mi-*

nùs mirum videri debet, Societatis homines, Sancti Parentis sui, aliorúmque maiorum suorum exemplo, tam aßiduam constantémque in aureo hoc libello legendo, commendando, ornando, vindicando operam ponere.

LXXIX.

Abrahamus Bzouius, Ord. Prædicatorum.

A. D. 1627. TOmo XVIII. Annalium Ecclesiasticorum, ad Annum Christi 1471. §. 21. pro Thoma Kempensi hoc testimoniũ dicit: *Scripsit inter alios, quatuor libros verè aureos de Imitatione Christi.* Et paulò pòst. *Aliqui Diuo Bernardo, alij Ioanni Gersoni, Constantinus verò Caietanus monachus Ioanni cuidam à Gessen Benedictino conatus est libellum vindicare. Cæterùm Heribertus Rosvveydus è Soc. IESV, scriptis Vindicijs, ac Paulo V. Pontifici Max. inscriptis, Thomæ Kempensi opu-*

opuſculum aureum aſſeruit, inuincibilibúsque argumentis demonſtrauit, neque Bernardi, neque Gerſonis, aut Geſſenis, ſed Kempenſis partum genuinum eſſe.

LXXX.

Georgius Stengelius, è Societate IESV.

THomæ à Kempis libellus, de quo nobis ſermo & controverſia eſt, quid Tubingæ paſſus fuerit, iſte libro 2. de duobus Apoſtatis, cap. 23. ſic enarrat. *Ferunt neſcio à quo bono Angelo non ita pridem Tubingæ, optimi de Imitatione Chriſti libelli à Thoma de Kempis in omnis pietatis compendium editi nomen in vulgus cum magna commendatione emanaſſe, & inclaruiſſe; iámque eius lectione haud obſcuram morum mutationem fieri cœpiſſe. Res eò ſpectare videbatur, quaſi* A. D. 1627.

tam Catholici auctoris lectores ad Catholicam religionem disponerentur. Quis enim non agnosceret digitum Dei in tam cælesti sapientia annuentem? Quis Spiritum Sanctum è tam pijs sententijs spirantem non persentisceret? Et tamen si vel totus quartus liber pro Missa, próque incruento sacrificio non loqueretur, nónne & priores libelli causam Monachorum, Religiosorum, & uniuersim Catholicorum luculentè agerent? Qualem ergo par, aut credibile est ignem scintillis Catholicissimis illius libelli excitari? Hoc probè nouerunt Tubingensium Prædicantes. quare dicuntur sedulò operam dedisse, vt Thomæ de Kempis libellus è manibus studiosorum Tubingensium excuteretur, tanquam quædam pernicies juuentutis. O longè aliud merite auctor! omnium linguis celebraris, & Turcico quoque idiomate explicatus, à Mauritaniæ Rege Argirij in nobilissima Bibliotheca ostenderis

deris, & præ reliquis omnibus libris Mahumetanorum triumphas: Tubingæ tamen in te tanquam in impietatis reum inquiritur. Ibi proclamaris: Inde proscriberis. Et aiunt, penè studiosorum trecentos esse in hoc facinore deprehensos; aut certè in facinoris suspicione extitisse, quasi scilicet eo libro instructi essent. Facinus prorsus vel Catholicis Academijs æmulandum. Vt dubites, rectiúsne Tubingæ studiosi sanctißimo libello in vrbem inducendo, an peruersiùs Prædicantes in exilium eijciendo fecerint.

LXXXI.

Prosper Farandus.

TEstimonia certissima pro Thoma Kempensi, germano auctore librorum *de Imitatione Christi*, Anno 1627. edidisse Romæ scribitur à Caietano Apolog. pro Gersene cap. 10. In manus meas ea non venerunt. A. D. 1627.

LXXXII.

LXXXII.

Iacobus Corenus, Gallus, Ord. Min. Reg. Obseru.

A. D. 1627. CLypeus Patientiæ, in auxilium quorumcunque afflictorum ab egregio isthoc Ecclesiaste confectus, lib. 2. c. 22. Thomam à Kempis dicit auctorē librorum de Imitat. Christi. Illius verba hæc sunt: *Quidam apud Thomam Theodidactum* (in margine, *lib.* 1. *de Imit. Christi cap.* 20.) *dicere solebat*; Quoties inter homines fui, minor homo redij. *Nemo securè apparet, nisi qui libenter latet. Qui se abstrahit à notis & amicis, appropinquabit illi DEVS cum Angelis suis &c.* Vsus sum editione anni M.DC.XXVII.

LXXXIII.

Petrus Brunsemius, Can. ad S. Georg. Coloniæ.

Metho-

Methodicam praxin ritè, rectè, ac sæpe sacrificandi, in gratiam Sacerdotum concinnauit, atque Moguntinis typis Hermanni Meresij in lucem emisit anno 1629. Ab eo non Gerson Gallus, non Gersen Italus, sed Thomas à Kempis Germanus nominatur verus Auctor librorũ *de Imitatione Christi* passim. Consule, si placet, ipsius Introductionem ad hanc praxim: consule Partis primæ præambulum: consule Capitis primi punctum primum, & his contentus esto. A. D. 1629.

LXXXIV.

Benedictus Haeftenus, Ord. S. Benedicti, Affligeniensis Præpositus.

Scholam cordis aperuit, & lib. 2. lectione 20. ex Thoma nostro, insigni spiritus magistro, hæc prælégit: *Thomas à Kempis* A. D. 1629.

pis ait; Nihil, Domine, amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum, ita lætificare debet, ſicut voluntas tua in eo, & beneplacitũ æternæ diſpoſitionis tuæ. Nam voluntas tua & amor honoris tui, omnia excedere debet, & plus eum conſolari, magiſque placere, quàm omnia beneficia ſibi data, vel danda. *Thom. à Kemp. lib. 3 de Imit. Chriſti cap. 22. num. 5.*

Idem (Thomas de Kempis) *Chriſtum ita conſulentem inducit*: Opta ſemper, & ora, vt voluntas Dei integrè in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis & quietis. *Lib 3. cap. 23 num. 3.*

LXXXV.

Iacobus Marchantius, Paſtor Covvinenſis.

A. D. 1630 HIc in celebri cœnobio cùm Floreffienſi, tum Lobienſi quon-

quondam SS. Theologiæ Professor, Montibus anno M. DC. XXX. *Candelabrum mysticum* edidit, septem lucernis adornatum, quæ Sacramentorum Ecclesiæ doctrinam illustrant. Tract. 1. lectione 1. Proposit. 3. explicatione Psalm 22. *Duplicem*, inquit, *mensam præparauit nobis Pastor ille noster, vnam doctrinæ sacræ, alteram pretiosissimam Corporis ac Sanguinis sui. De vtraque Thomas à Kempis sic ait:* Mensæ duæ sunt hinc inde in gazophylacio Ecclesiæ positæ. Vna est sacri Altaris, habens Panem sanctū, id est, Corpus Christi pretiosum. Altera est diuinæ legis, continens doctrinam sanctam &c. *lib. 4. de Imit. Christi cap. 11.* Tract. 4. lect. 4. de *Quatuor dimensionibus mysticis Sacramenti Eucharistiæ*, hæc decerpsit ex lib. 4. de Imit. cap. 2. *Quid cogitabo melius & salubrius* (inquit Thomas à Kempis) *in accessu ad te* Do-

Dominum meum, nisi meipsum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltando super me? &c. Tract.4. lect.6. Proposit. 1. *Porrò & illud hic deplorandum est cum Thoma à Kempis, quòd cùm DEVS multos voluerit fieri sacerdotes, & in pluribus locis Christum offerri, & adorari, vt tanto maior appareat gratia & dilectio Dei in hominẽ, quanto latiùs hoc Sacramentum diffusum est per orbem: hoc interim potiùs neglectum, & minorem reuerentiam pariat Christianis. Ex lib. 4. de Imit. cap. 1. §. 12.*

LXXXVI.

Auctor Fastorum Marianorum.

A. D. 1630. CVltui Sanctorũ propagando, & vestigijs cælitum insistendis, hos Fastos publicauit Congregatio Ciuica B. Mariæ

riæ Virginis Monachij tum Latino tum vernaculo idiomate: & cùm gnomas è libello de Imitatione Christi referunt, non alium auctorem illius, quàm Thomam à Kempis prædicant.

LXXXVII.

Matthias Faber, Parochus Neoforensis, nunc Soc. IESV.

ROmæ diu vixit hic, & haud ignarus præsentis controversiæ, in Opere concionum suarum tripartito, libelli de Imitatione Christi crebrò meminit, sed non alteri, quàm Thomæ Kempensi attribuit. A. D. 1631.

LXXXVIII.

Iustinus Miechouiensis, Ord. Prædicatorum.

TOmo 2. Discursuum prædicabilium super litanias Laureta- A. D. 1634.

retanas B. M. V. titulo *Regina Confessorum*, Discursu 392. de magnis cultoribus B. Virginis ex Canonicis Regularibus S. Augustini; *Sit*, inquit, *primus Thomas à Kempis. Hic quàm pius, quàm deuotus fuerit, testatur libellus de Imitatione Christi, ab eo conscriptus: quot periodos, tot sententias pius continet, ab omnibus pijs ac deuotis in manibus tritus & valdè laudatus.*

LXXXIX.

Ioann. Eusebius Nierembergius, è Soc. IESV.

A. D. 1635 QVem Germania nostra ex patre Tyrolensi, matre Boia Hispanis dedit; Lib. de affectu & amore erga Mariam Virginem, cap. 23. Thomam meritis laudibus extollens: *Vir*, ait, *hic venerabilis, scriptisque de Imitatione Christi libellis aureis toto orbe notissimus.*

XC.

XC.

Ioannes Tollenarius, è Soc. IESV.

SPeculo Vanitatis, ſeu *Eccleſiaſte* ſolutâ ligatáque oratione dilucidato, cap. 1. Procem. *Quorſum*, inquit, *mihi litterarius ille plauſus, qui me Deo ſupremo judici meo reddat inuiſum? qui, vt ait Thomas Campenſis ſcriptor religioſiſſimus, extremo illo magni judicij die non quæret, quid legerimus, ſed quid fecerimus, neque quàm bene dixerimus, ſed quàm religiosè vixerimus. Thom. à Kempis lib. 1. cap. 1. de Imitatione Christi.* A. D. 1635.

XCI.

Prodigioſus Marcellus Maſtrillus, è Soc. IESV.

QVi anno 1637. in Iaponia pro fide Catholica exquiſitis A. D. 1636.

tis tormentis interemptus est, illustre dat elogium ac Testimoniũ Thomę Kempensi: Verba ex ipsius Commentario refert Ioan. Euseb. Nieremberg. in vita cap. 12. *Supplicatione finitâ, recepi me in conclaue Prætoris, rogauique demissè, dare vellet vni nobilium, qui adstabant, librum Epistolarum S. Francisci Xaueriȷ, qui forte fortuna illum aperiens notaret paginam, quæ primùm occurreret, è cuius lectione aliquid cognosceremus de nostræ nauigationis euentu, eo planè modo, quo in libro* Thomæ à Kempis de Imitatione Christi *fieri solet in moeroribus animi. Mirabile dictu, bis experimentum cepimus, bis inuenimus, quod ad litteram nobis euenit.*

Huiuscemodi mori, nec non Thomæ Kempensi adstipulatur Hermannus Hugo S. I. lib. de prima scribendi origine, cap. 29. *Non damnauerim erroris eos, qui piâ quadam*

dam consuetudinis simplicitate, libri alicuius sacri pagellam aliquam fortuitò arreptam legunt, vel dogmatis, vel solatij alicuius capiendi caussâ: quod D. Aurelio Augustino sedenti, & de vita mutatione cogitanti vsu venit, vt diuinitus sibi dictum arbitraretur, quod primâ fronte in Paulinis Epistolis sibi offerebatur. Et multos dicere frequenter audiui, solitos se ex libello Thomæ à Kempis sic quærere in moerore consolationem, neque vnquam falli. Nunquam certè falsus fuit S. Ignatius Loiola, qui quotidie solitus fuit legere vnum caput ex isto libello, eo ordine, quo fuerunt disposita: alterum quoque, quod veluti casu, aperto codice, sine vllo foliorum discrimine obtigisset: semperque inuenit in eo materiam, præsenti animi statui accommodatã, & quam S. Pater eo tempore in animo impressam habuit. *Ludou. Gonzalez in Actis S. Ignatij MSS.*

XCII.

Christophorus Besoldus I.V.D. & Professor Ingolstadiensis.

A. D. 1637. QVàm hic clarissimus vir non accesserit ad Gersenianas partes, videre est infrà in examine Testiũ pro Gersene productorum §. 8. vbi illum ita nobis vindicauimus, vt pro solo Thoma Kempensi sententiam dicat.

XCIII.

Guilielmus Lamormaini, Soc. IESV.

A. D. 1638. AVgustissimus Imperator Ferdinandus II. cui hic ab arcanis conscientiæ fuit, quotidie vel vnum caput ex libello Thomæ de Kempis, vel aliquot ex eo selectas sententias legit. *Guiliel. Lamormaini lib. de Virtut. Ferdin. cap. 5.*

XCIV.

XCIV.

Ioannes Bapt. VVVenus, Soc. IESV.

SCripsit Commentarium litteralem & moralem in *Ionam* Prophetam, per lectiones siue sermones exegeticos LX. tributū. Libros *de Imitatione Christi* vendicat Thomæ Kempensi *Cap. 1. Lect. 8. num. 11.* item *lect. 14. num. 58.* rursus *Cap. 4. lect. 2. num. 11.* A.D. 1640.

XCV.

Leonardus Mayr, Parochus Palatino-Neoburgicus.

IN kalendario B. V. Germanico, Editionis tertiæ Dilingæ, ad diem septimum Aprilis, Thomam à Kempis prædicat auctorem libri de Imitatione Christi: *Qui liber*, inquit, *secundum Biblia, omnium ferè librorum præstantißimus* A.D. 1642.

ab

ab hominibus doctis habetur, & nemo vllus tam frequenter typis excusus est.

XCVI.

Paulus Zebentner, Soc. IESV.

A.D. 1643. ELeonoræ Exaugustæ, Ferdinandi II. Imperatoris coniugi à sacris concionibus, *Promontorium malæ spei* impijs periculosè nauigantibus proposuit, atque edidit Græcij for nis Widmanitadianis, anno 1643. Libro 1. Paragr. 3. n. 5. huius præconis voce rectissimè exclamat *verissimus Christi imitator Thomas Kempensis:* Ah stulte, quid cogitas te diu victurũ, cùm nullum diem habeas hîc securum? quàm multi decepti sunt, & insperatè de corpore extracti? quoties audisti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens ceruicem fregit, ille manducando obriguit, ille

ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interijt. *Thom. de Kempis lib. 1. de Imit. cap. 23. num. 7.*

XCVII.

Valerius Andreas Desselius.

EDidit Bibliothecam Belgicam, seu de Belgis vitâ scriptionéque claris, quam renouauit, & tertiâ parte auctiorem typis vulgauit Louanij, Anno reparatæ salutis 1643. Is igitur ita scribit: *Thomam nostrum esse huius libelli* (de Imitatione Christi) *auctorem, non verò aut Ioannem Gersonem Cancellarium Parisiensem, aut Ioannem de Gessen, vel de Gersen Abbatem Vercellensem, satis euincit Heribertus Rosvveydus è Soc. IESV, editis Vindicijs Kempensibus aduersus Concertationem Constantini Caietani Romæ 1616. editam: qui & Responsionem Apologeticam eidem Rosvvey-* A. D. 1643.

Kemp. testimoniũ dicit, dum hæc è libello profert ipsius: *Domitis sensibus, non erit arduum affectiones pariter domare, adhibitis (vt ait Regula) earum contrarijs: nam vt eximiè suo more à Kempis*; Tantũ proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris, & non ampliùs, *Lib. 1. de Imit. cap. vlt.*

CI.

Reuerendissimus D. D. Gaspar Zeillerus, Episcopus Adramytenus, Proëpiscopus Augustanus.

M. D. 1647. PErlecto *Apparatu*, & *Apologetico* Constantini Caietani, cùm rationes pro Gersene allatas accuratè expendisset, ista hæc verba libri tergo inscripsit: *Libri de Imitatione Christi, quos D. Constantinus Caietanus cuidam Ioanni Gersen affingit.* Cæterùm pro Thoma Kempensi is semper stetit, atque etiamnũ honorem illius tuetur luculentissimis Elogijs, Testimonijs, Instrumentis publicis,

CII.

Petrus Braierus Soc. IESV, SS. Theol. Prof. in Acad. Ingolstad.

NOn solùm inter Asceticos Doctores, sed etiam inter grauissimos Theologos locum sibi vendicat Thomas à Kempis. R. P. Petrus Braierus, Professor me⁹ plurimùm obseruandus, cùm anno 1648. celeberrimam illam Quæstionem, *An prædestinatio fiat sine, vel ex præuisis meritis?* pertractasset, & pro sententia sua (Electionem seu Prædestinationem ad gloriam esse ante merita absolutè præuisa) Diuum Thomam, Scotũ, Toletum, Bellarminum, Salmeronem, Suarezium, alios adduxisset, qui veteres magno numero pro se adducunt, subijcit: *Inter quos miror non collocari pientissimum virum Thomam de Kempis, qui etiam hanc sententiam planè tenet lib. 3. de Imit.* A. D. 1648.

tis tormentis interemptus eſt, illuſtre dat elogium ac Teſtimoniū Thomę Kempenſi: Verba ex ipſius Commentario refert Ioan. Euſeb. Nieremberg. in vita cap. 12. *Supplicatione finitâ, recepi me in conclaue Prætoris, rogauique demiſsè, dare vellet vni nobilium, qui adſtabant, librum Epiſtolarum S. Franciſci Xauerij, qui forte fortuna illum aperiens notaret paginam, quæ primùm occurreret, è cuius lectione aliquid cognoſceremus de noſtræ nauigationis euentu, eo planè modo, quo in libro* Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti *fieri ſolet in mœroribus animi. Mirabile dictu, bis experimentum cepimus, bis inuenimus, quod ad litteram nobis euenit.*

Huiuſcemodi mori, nec non Thomæ Kempenſi adſtipulatur Hermannus Hugo S.I. lib. de prima ſcribendi origine, cap. 29. *Non damnauerim erroris eos, qui piâ quadam*

dam consuetudinis simplicitate, libri alicuius sacri pagellam aliquam fortuitò arreptam legunt, vel dogmatis, vel solatij alicuius capiendi caussâ: quod D. Aurelio Augustino sedenti, & de vita mutatione cogitanti vsu venit, vt diuinitus sibi dictum arbitraretur, quod primâ fronte in Paulinis Epistolis sibi offerebatur. Et multos dicere frequenter audiui, solitos se ex libello Thomæ à Kempis sic quærere in moerore consolationem, neque vnquam falli. Nunquam certè falsus fuit S. Ignatius Loiola, qui quotidie solitus fuit legere vnum caput ex isto libello, eo ordine, quo fuerunt disposita: alterum quoque, quod veluti casu, aperto codice, sine vllo foliorum discrimine obtigisset: sempérque inuenit in eo materiam, præsenti animi statui accommodatã, & quam S. Pater eo tempore in animo impressam habuit. *Ludou. Gonzalez in Actis S. Ignatij MSS.*

XCII.

Christophorus Besoldus I.V.D. & Professor Ingolstadiensis.

A. D. 1637. QVàm hic clarissimus vir non accesserit ad Gersenianas partes, videre est infrà in examine Testiũ pro Gersene productorum §. 8. vbi illum ita nobis vindicauimus, vt pro solo Thoma Kempensi sententiam dicat.

XCIII.

Guilielmus Lamormaini, Soc. IESV.

A. D. 1638. AVgustissimus Imperator Ferdinandus II. cui hic ab arcanis conscientiæ fuit, quotidie vel vnum caput ex libello Thomæ de Kempis, vel aliquot ex eo selectas sententias legit. *Guiliel. Lamormaini lib. de Virtut. Ferdin. cap. 5.*

XCIV.

XCIV.

Joannes Bapt. VVvenus, Soc. IESV.

SCripſit Commentarium litteralem & moralem in *Ionam* Prophetam, per lectiones ſiue ſermones exegeticos LX. tributũ. Libros *de Imitatione Chriſti* vendicat Thomæ Kempenſi *Cap. 1. Lect. 8. num. 11.* item *lect. 14. num. 58.* rurſus *Cap. 4. lect. 2. num. 11.* A.D. 1640.

XCV.

Leonardus Mayr, Parochus Palatino-Neoburgicus.

IN Kalendario B. V. Germanico, Editionis tertiæ Dilingæ, ad diem ſeptimum Aprilis, Thomam à Kempis prædicat auctorem libri de Imitatione Chriſti: *Qui liber*, inquit, *ſecundum Biblia, omnium ferè librorum præſtantiſſimus* A.D. 1642.

ab

ab hominibus doctis habetur, & nemo vllus tam frequenter typis excusus est.

XCVI.

Paulus Zebentner, Soc. IESV.

A.D. 1643. ELeonoræ Exaugustæ, Ferdinandi II. Imperatoris coniugi à sacris concionibus, *Promontorium malæ spei* impijs periculosè nauigantibus proposuit, atque edidit Græcij for nis Widmanstadianis, anno 1643. Libro 1. Paragr. 3. n. 5. huius præconis voce rectissimè exclamat *verissimus Christi imitator Thomas Kempensis*: Ah stulte, quid cogitas te diu victurũ, cùm nullum diem habeas hîc securum? quàm multi decepti sunt, & insperatè de corpore extracti? quoties audisti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens ceruicem fregit, ille manducando obriguit, ille

ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interijt. *Thom. de Kempis lib. 1. de Imit. cap. 23. num. 7.*

XCVII.

Valerius Andreas Desselius.

EDidit Bibliothecam Belgicam, seu de Belgis vitâ scriptionéque claris, quam renouauit, & tertiâ parte auctiorem typis vulgauit Louanij, Anno reparatæ salutis 1643. Is igitur ita scribit: *Thomam nostrum esse huius libelli* (de Imitatione Christi) *auctorem, non verò aut Ioannem Gersonem Cancellarium Parisiensem, aut Ioannem de Gessen, vel de Gersen Abbatem Vercellensem, satis euincit Heribertus Rosuveydus è Soc. IESV, editis Vindicijs Kempensibus aduersus Concertationem Constantini Caietani Romæ 1616. editam: qui & Responsionem Apologeticam eidem Rosuvey-* A. D. 1643.

do anno 1618. reposuit. Sed talem, ait suprà Pennottus, cui, quoniam nihil noui additum, nec vbi liber, cuiúsq; auctoritate impressus sit, ex illa editione cognosci potuit, dignum haud æstimauit Rosvveydus aliquid respondere.

XCVIII.

Paulus de Barry, Soc. IESV.

A. D. 1644. HAgiophilæ suæ solitariæ præscribit in singulos dies lectionem Sacram è libris Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi.* Vide librum siue Auctoris Gallicum, siue Latinè versum à R. P. Michaele Cuvelier Soc. IESV.

XCIX.

Aegidius Gelenius S. T. L. Historiographus Coloniensis.

A. D. 1645. VOlumen edidit anno 1645. De admiranda sacra & ci-

nili

uili magnitudine Coloniæ Agrippinæ. Libro IV. qui ſacros Faſtos ad Martyrologij Romani normam digeſtos exhibet, 25. Iulij, quo die Thomas à Kempis terras cum cælo commutauit, hiſce verbis agit de illius obitu. *Item Venerabilis THOMAE Malleoli, dicti de Kempis, ex inferioris diœceſeos Colonienſis oppido religioſiſſimi ciuis, & dum vixit, Canonici Regularis prope Schvvollam, cuius ſcripta inſtar S. Scripturæ in precio habentur, maximè ex quo tempore S. Ignatius vitam ſuam, & inſtitutum Societatis IESV ex eius aureo libello compoſuit.* Notum autem eſt, non alium fuiſſe libellū, quàm illum de Imitatione Chriſti.

C.

Vincentius Carrafa Soc. IESV Præpoſ. Generalis.

IN epiſtola ad vniuerſam Soc. IESV hoc illuſtre pro Thoma Kemp. A. D. 1646.

Kemp. testimoniũ dicit, dum hæc è libello profert ipsius: *Domitis sensibus, non erit arduum affectiones pariter domare, adhibitis (vt ait Regula) earum contrarijs: nam vt eximiè suo more à Kempis;* Tantũ proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris, & non ampliùs. *Lib. 1. de Imit. cap. vlt.*

CI.

Reuerendißimus D.D. Gaspar Zeillerus, Episcopus Adramytenus, Proëpiscopus Augustanus.

A. D. 1647. PErlecto *Apparatu*, & *Apologetico* Constantini Caietani, cùm rationes pro Gersene allatas accuratè expendisset, ista hæc verba libri tergo inscripsit: *Libri de Imitatione Christi, quos D. Constantinus Caietanus cuidam Ioanni Gersen affingit.* Cæterùm pro Thoma Kempensi is semper stetit, atque etiamnũ honorem illius tuetur luculentissimis Elogijs, Testimonijs, Instrumentis publicis,

CII.

Petrus Braierus Soc. IESV, SS. Theol. Prof. in Acad. Ingolstad.

NOn solùm inter Asceticos Doctores, sed etiam inter grauissimos Theologos locum sibi vendicat Thomas à Kempis. R. P. Petrus Braierus, Professor me⁹ plurimùm obseruandus, cùm anno 1648. celeberrimam illam Quæstionem, *An prædestinatio fiat sine, vel ex præuisis meritis?* pertractasset, & pro sententia sua (Electionem seu Prædestinationem ad gloriam esse ante merita absolutè præuisa) Diuum Thomam, Scotũ, Toletum, Bellarminum, Salmeronem, Suarezium, alios adduxisset, qui veteres magno numero pro se adducunt, subijcit: *Inter quos miror non collocari pientissimum virum Thomam de Kempis, qui etiam hanc sententiam planè tenet lib. 3. de Imit.* A. D. 1648.

Christi cap. 58. num. 4. vbi sic loquitur: Ego laudandus sum in omnibus Sanctis meis; ego super omnia benedicendus sum, & honorandus in singulis, quos sic gloriosè magnificaui, & prædestinaui sine vllis pręcedentibus proprijs meritis.

CIII.

Ioan. Angelus Roßius, Cler. Reg. Barnab. Congreg. S. Pauli.

A. D. 1649. SCripsit Moralia varia ad vsum vtriusq; fori, duodecim comprehensa titulis. Tit. 1. part. 3. § 58. num. 2152. fol. 530. cùm agit de conscientia scrupulosa, & scrupulorum remedijs, ita loquitur: *Tertium commune remediũ est, talibus scrupulis, seu cogitationibus, & suggestionibus, juxta dicta suprà num. 2073. resistere, non positiuè aduersus eas disputando, &c.* Et post pauca addit: *Hoc remedium eleganter*

ter præscribit Thomas à Kempis de Imitatione Christi lib. 3. cap. 6. num. 4. vbi fidelem ad perfectionem adspirantem sic in persona Christi alloquitur; Scito, quòd antiquus inimicus &c. Denique concludit; *Ita Thomas à Kempis.*

CIV.

Simon VVerlinus, Can. Reg. Ord. S. Aug. Præpositus Diessensis.

VIr hic religione, doctrinâ, & eruditione prorsus singulare sacri monasterij atque Ordinis sui decus: qui omnia S. Augustini opera plus decies euoluit, fidissimáque complexus est memoriâ: qui Ordinis sui antiquitates indefesso labore, & incredibili felicitate indagauit, vt in ijs quod nosse velles, eum nihil prætererierit. Scripsit inter alia complura, typisque Monacensibus edidit Anno 1641. non sine A. D. 1649.

graui ac luculenta approbatione Reuerendissimi & Illustrissimi D. D. Viti Adami Episcopi Frisingensis, S. R. I. Principis, nouas Vindicias Kempenses aduersus Franciscum Valgrauium: quæ silentiũ imponere Gersenianis debuerant, nisi oblatrasset cacozelus etiam alienis sideribus cælũ suum, quod à proprijs, ijsque plurimis, & verò nitidissimis pulcherrimè collucet, obstipandi. Compulsus itaq; scribere Vindicias Vindiciarum, quibus imposuit nomen *Rosvveydum redivivum*, adeo exquisitè, solidéq; demonstrauit, celeberrimũ opusculum de Imitatione Christi esse Thomæ à Kempis; argumenta contraria tam enucleatè dissoluit omnia, vt sperandũ sit, nos æquo cunctorum litteratorum judicio audituros, sibi de causa iam liquere Kempensi. Post hunc ego sanè calamum in manus non sumpsissem,

ſem, niſi ipſe, dum vixit, ſæpiu-
ſcule me ad ſcribendū impuliſſet;
&, ſi mortuo nuper non eo vellem
officio parentare, vt Teſtimonia
Roſweydi certiſſima, quæ Valgra-
uius non dubitat appellare *com-
menta vaniſſima*, pro virili parte
defenderem, atque inſigni aucta-
rio locupletarem: id quod à no-
bis ita hactenus præſtitum eſt, vt
per longam duorum ſæculorum
ſeriem ad noſtra vſque tempora
tot optimorum codicum fidem,
tot teſtium grauiſſimorum con-
ſtantiam coram judicibus repræ-
ſentaremus.

CV.

Theophilus Raynaudus Soc. IESV, S. Script. in Colleg. Romano Profeſſor.

QVæſieram ex illo, quem A. D. 1649.
cenſeret eſſe libelli *de Imi-
tatione Chriſti* auctorem:

rescripsit mihi Româ 19. Nou. anno 1649. in hæc verba: *Iam judicium meum de Thoma Kempensi, indubitato libri auctore, aperui in Tractatu de Libris suppositis, qui insertus est Operi De justa confixione librorum.* Quò ego lectorem veritatis cupidum remitto: atque in hoc postremo Teste *Centumuirale judicium* concludo. Accinat istis; Thomæ Kempensi applaudat venustissimus Epigrammatographus

Bernardus Bauhusius, Soc. IESV.

Memnonidæ, lampas quos Delia prima colorat,
Et pharetratorũ gens Othomannigenûm:
Et tincti moro Mauri, ferrugine Iberi,
Et violà tinctus Sarmata, Belga rosà:
Campensem cuncti THOMAM norúntque, legúntque,
Dúmque erit aura, solum, flamma, salúmq; legent.
In tenebris, Thoma, te non sinet iste libellus,
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Exa-

Examen testium pro Gersene citatorum.

IOannem Gerseniũ non longè post Seraphiei Francisci tempora vixisse, ne quidem dubitandũ existimant adversarij, quòd, cùm gnomæ, quæ Viro sancto symboli vicem fuit, mentionem facit, præsentis vtatur verbo temporis; *Ait humilis sanctus Franciscus.* Quòd si vim infert eiuscemodi argumentatio, æquè persuadebitur, ipsâ Sernatoris nostri, cùm in humanis ageret, tempestate conscriptum esse libellum *de Imitatione Christi*, cuius exordium ducitur à præsentis locutione temporis; *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus: hæc sunt verba Christi, quibus admonemur &c.* Verùm, quàm certò liquet, non fuisse Christo superstite, tã verosimiliter apparebit, neque B. Francisco inter ho-

mines agente fuisse conscriptum: Codices, annosissimi licèt, qui ad hanc diem prolati sunt, ætatem Thomæ Kempensis nequaquam antecurrunt: non igitur de alio necessitas cogit circumspicere auctore. Iam quid in Testibus virium sit, experiamur, quorũ antesignanus in acie constituitur:

S. Bonaventura Seraphicus Doctor.

QVi cùm septimam Collationum Tolosæ habitarum ex cap. 25. libri 1. de Imitatione Christi magnam partem transcripserit, ipsiúsque deuoti libelli meminerit, Thomas auctor esse non potest.

Si auctor illarum Collationum esset, vt fertur, Bonaventura, jugulatus vtique Thomas Kempensis foret: at non illico in possessionem

nem mittendus Ioannes Gersen, vt cuius nomen non exprimitur. Verùm illarum Collationum auctorem non esse S. Bonaventuram, argumento est Vbertinus, qui Bonaventurâ multò posterior in ijs laudatur. Agite breviarium vitæ conficiamus vtriusque, ex quo Seraphico Doctori hunc partum nemo non abiudicabit.

Nascitur Bonaventura Anno Christi 1221. *Petrus Galesinius in Vita Operibus præfixa, cap. 1. Arturus à Monasterio in Martyrol. Francisc. Lucas VVaddingus Tom. 1. annal. Minorum A. C. 1221. §. 45.* A. D. 1221.

Ordinem Minorum ingreditur, alterum & vigesimum agens annum. *Petrus Galesin. cap. 4. Octauianus Sinvessanus Relatione corã Sixto IV. Pont. Max. facta in Consistorio: Arturus à Monast. die 14. Iulij: Luc. VVaddingus Tom. 1. annal. Minorum A. C. 1243. §. 2.* 22. 1243.

Sep-

7. Septennium ſtudijs litterarum
1250. dedit: & tribus circiter annis audiuit Alexandrum Alenſem. *Galeſin. cap. 7. & 8. VVadding. Tom. 2. annal. Minor. 1253. §. 26.*

Septimo poſt ingreſſum anno, Pariſijs publicè Theologiam docuit per annos ſex. *Octauian. Relat.*
6 *S. Antoninus Part. 3. Chronic. tit. 24.*
1256. *cap. 8. Breuiar. Rom. & Arturus Martyrol. Franciſc. 14. Iulij: VVadding. loc. cit. Piſanus conformit. 8.*

Anno Chriſtianæ ſalutis M. CC. LVI. tertio decimo ab ingreſſu in Ordinem, creatur Miniſter Generalis octavus. *Breu. Rom. S. Antoninus, Octanianus Relat. Franc. Gonzaga Part. 1. de Seraph. religione, Arturus Martyrol. Franciſc. Piſanus conform. 8. VVadding. Tom. 2. annal. Minor. 1256. §. 3.*

Præfuit Ordini vniuerſo per an-
18. nos omnino octodecim. *Octauianus*
1274. *in Relat. Gonzaga Parte 1. Arturus,*

& VVaddingus, qui ad annũ 1274. §. 32. scribit, S. Bonauenturam iam Cardinalem, auctoritate Summi Pontificis retinuisse totius Ordinis regimen vsque ad comitia generalia: quæ celebrata sunt Lugduni anno 1274. die 20. Maij, in Festo Pentecostes.

Porrò igitur creatum esse S. R. E. Cardinalem & Episcopum Albanensem Anno 1273. rectè Bellarminus de Script. Ecclesiasticis, & Waddingus scribit Tom. 2. annal. Minor. ad annũ 1273. §. 10. 11.

Moritur in Concilio Lugdunensi, anno 1274 ætatis 52. *VVaddingus Tom. 2. annal. §. 9. & 16.*

Iam quæramus, quando S. Bonaventura scripserit has octo Collationes? Non ante ingressum certè in religionē. An per septennium illud, quo litteris operam dedit, & discipulus fuit Alexandri Alensis, Ioannis Rupellij, & aliorum? Refert quidem Galesinius in Vita

Vita cap. 7. librum, quem *Pharetram* dixit, in ipso religionis ingressu, ex Operibus contexuisse SS. Doctorum, Gregorij Papæ, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Cypriani, Chrysostomi, Isidori, Anselmi, Bernardi, Cassiodori &c. nihil autem ex Vbertino, qui necdum admissus in Ordinem, immo necdum natus fuit. An per sexennium, quo docuit Parisijs? Neque illo adhuc tempore admissus in Ordinem, immo necdum natus fuerat Vbertinus, vt mox ostendetur: aberrant enim, qui existimant eum à Ioanne Parmensi, cùm Generalis esset, fuisse susceptum, vt ex ipso patebit Vbertino. Ioannes de Parma, posteaquam defunctus fuit Generalatu proximè ante supremum Bonaventuræ magistratum, triginta circiter annos habitauit in rupe, quæ est non ita procul Reate, vti legere est in Chro-

nico

nico Marci Vlyssiponensis lib. 1. cap. 25. Intra hos triginta annos Vbertinus conuenit in rupe Ioannem de Parma Exgeneralem, vt ipse de se testatur *Prologo 1. Arboris vitæ crucifixæ*, vbi ait, *se ad verè sanctissimum Ioannem de Parma, ad rupem* (audis, quo loco?) *deuenisse.* Et fuerit sanè Vbertinus primis illico annis aggregatus ab illo Minoribus, tirocinium posuit, Bonaventurâ iam generali totius Ordinis Ministro. Et hunc ab illo sententiolas aliquas emendicasse, vt ad Tolosanos FF. collatiunculam elaboraret? mutuatum Bonaventuram ab eo, qui post complures annos in religiosa palæstra exactos, cœpit aliquid primùm Voluminis moliri, quod vltimam manum accopit Anno 1305. ab excessu Bonaventuræ, primo & trigesimo? Credis, Seraphicum Doctorem collationẽ pænè integram sub-

ſublegiſſe ex pijs priuati Fratris alicuius adverſarijs? Credis hoc Eccleſiæ Sanctæ lumen ſuſpexiſſe pictacia hominis talis, qui (recito verba Trithemij lib. de Script. Eccleſ.) *nouas quaſdam ſub ſpecie reformationis ſeparationes incipit, & eas à Summo Pontifice confirmari obtinuit, quæ tamen ad petitiones Cuſtodum & Miniſtrorum ſtatim per eundem Papam fuerunt reuocatæ, quoniam in graue ſcãdalũ & ſciſſurã Ordinis videbãtur præſumptæ. Vnde commot⁹ Vbertinus, Ord. Carthuſienſiũ ingreſſus eſt.*

Quanquam quid ad iſta neceſſe eſt deſcendere? ex ipſo Vbertino diſcamus licet, quo ſcilicet anno familiæ Minorum ſeſe conſecrauerit. Coronidem impoſuit *Arbori Vitæ crucifixæ* (id libro nomen eſt) adulto Septemb. menſe, M. CCC. V. receptæ ſalutis, anno à converſione trigeſimo ſecundo. Sub finem igitur Generalatûs Bonaventuræ,

&

& vno ante felicẽ illius excessum anno, hoc est, A.C. 1273. Vbertin⁹ res suas mũdũ habere iussit. Et ab impolitis tirũculi chartis supremũ Ordinis per annos iã septendecim gubernatorem; purpuratum subinde S.R.E. Patrem; Seraphicum illum Doctorem; illud lumen Oecumenici Concilij Lugdunensis suppetias in perbreuem Conciunculam exorasse, tam indignum est creditu, quàm incredibile factu. Neque persuadeas tibi velim, Vbertinum grandiusculum natu in D. Francisci leges jurasse: Adolescens erat quatuordecim annorum, vt ipse de se in principio Prologi, ac proinde natus fuerat A. C. 1259. quo Bonauentura iam per triennium fuit Minister generalis. Quomodo ergo puer Doctori Seraphico; quomodo adolescens religiosus suo Generali, S.R. E. Episcopo Cardinali; quomodo scri-

ſcriptor libri, quem abſoluit triginta ampliùs annis poſt mortem Bonaventuræ, potuit juvare diuinum illum eccleſiaſten in conſarcinanda Collatione? Rem ita, vt diximus, accipe à grauiſſimo Annalium Ordinis ſui ſcriptore R. P. Luca Waddingo, Tom. 2. ad annũ 1299. §. 4. *Fr. Vbertinus de Ilia de Caſale anno 1305. trium menſium & ſeptem dierum ſpatio in monte Aluernæ ſcripſit pium, aliquanto tamen pro illius temporis ratione indigeſtum, & minimè ad incudem reductum opus, quod inſcripſit*, Arbor vitę crucifixi. *In primo Prologo operis ait, ſe anno citato, quo opus compleuit, trigeſimum ſecundum in ſodalitio Minorum tranſegiſſe: ex quo conficitur, initiatum anno 1273. ſub generalatu S. Bonaventuræ, & ipſo anno, quo factus eſt Cardinalis. Natus itaque eſt anno 1259. nam in principio prologi ait, anno quartodecimo ſuæ ætatis ſe Minoribus*

bus nomen dedisse. Deinde addictus studijs Philosophicis, magno conatu spiritualibus se applicuit exercitijs, in quibus dum per quatuordecim annos occuparetur, & visitaret sanctuaria Romana, descendit ad vallem Reatinam, pia illa loca à S. Francisco instituta, vti suo loco diximus, visitaturus, inuisit pium virum B. Ioannem Parmensem in tuguriolo Grecij (quod rupem vocat Vbertinus, quia in rupe, vti nos aliàs admonuimus, excisum) multis annis herentem, à quo se confortatum, absolutum, & instructum ad celebrem Portiunculæ Indulgentiam abijsse recenset, atque illic diuinas sensisse immutationes. Hactenus eruditissimus P. Lucas Waddingus, *Verè FRANCISCI primus in historia:* qui si, quod semel iterúmque stipulatus fuit, *a.* præstiterit, atque

a. Tom. 2. Opusculorum S. Francisci, in limine collationum ipsius: iterum in litteris Caietano scriptis, Nonis Febr. 1642.

atque has octo Collationes tanto Ecclesiæ Doctori, D. Bonaventurę vindicauerit, non video, quid ab illo dici possit aliud, quàm Collationi primæ istud ex Vbertino assumentum ab aliquo longè pòst fuisse adiectum. Ibi tum nos illicò subijciemus, etiam Collationi septimæ hanc mantissam ex Thomæ à Kemp. *lib. 1. de Imit. Christi*, vno plus sæculo pòst fuisse adiectam. Etiam non est, cur Marianum Florentinum morer; cui idem onus imponitur, quod magno P. Waddingo, nimirum ex vetustissimo codice, de quo constet certissimè, manu scriptum fuisse ante annum 1410 demonstrandi Collationem septimam omnibus, vt nunc habetur, verbis & sententijs integram, quisquis denique sit Auctor: nam Bonaventurã Collationes, vt nunc quidem circumferuntur, ex annalibus Minorum demonstratũ est,

scri-

ſcribere non potuiſſe ex Vbertini libro; qui ipſo Generali Miniſtro, atque adeo iam Cardinali, cœptus rudi Mineruâ, ſi tamen cœptus in adverſaria mitti: qui vno & trigeſimo poſt obitum ipſius anno extremam paſſus eſt limam.

TESTIS II.

S. Thomas Aquinas, Angelicus Doctor.

QVi ex lib. 4. de Imit. Chriſti nonnulla tranſtuliſſe creditur in Officium Corporis Chriſti à ſe compoſitum. Secùs res ſe habet: non Aquinas à Kempenſi, ſed hic ab illo quædam mutuatus eſt. Id reſponſi dudum à Roſweydo datum: nunc telũ aliud contra eum non *amentauit habena*, quàm, quòd auctor Apparatûs Gerſenici Aquinatem ex auctore libelli *de Imit. Chriſti*, non hunc ex illo deſumpſiſſe, tam

faci-

facile dicat esse discernere, quàm quæ Synthesis pars integra, quæ gemma sit interlucens, judicare. Age igitur aliquis Gersenophile, ego libellum *de Imit. Christi* ex sinu promo, tu Ecclesiasticum D. Thomæ Officium de Corpore Christi in manus sume: videamus partes synthesis, quæ sunt integræ, & numeremus gemmas interlucentes: tum, vtrum, seu potiùs an neutrũ ex altero sua stipasse aluearia, par sit credere. Lego ex lib. 4. cap. 13. quæ Caietanus paradigmatis loco adducit. a. *Verè tu es dilectus meus, electus ex millibus.* Estne hæc synthesis? synthesis. Gemma est ex Cant. c. 5. v. 10. lecta. *In quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ suæ.* Hæcne pars integra synthesis? Integra. Gemmulæ duæ sunt, ex Matth. c. 3. v. 17. altera, altera Psalm. 22. v. 6.

Verè

a. Apolog. cap. 5. circa finem.

Verè tu pacificus meus, in quo pax summa, & requies vera. Eſtne iſta ſyntheſis? Gemma eſt ex Paralip. l. 1 cap. 22. v. 9. Quis enim non videt, eum reſpexiſſe ad verum Salomonem, qui eſt Chriſtus? *Extra quem labor & dolor, & infinita miſeria.* Eſtne hæc ſyntheſis? Gemma interlucet ex Pſal. 89. verſ. 10. *Verè tu es DEVS abſconditus.* Quid? num ſyntheſis? Hanc gemmam obtulit Iſaias c. 45. v. 15. *Et conſilium tuum non eſt cum impijs.* Forſan hæc pars integra ſyntheſis? Gemmam iſtam contulit S. Iob c. 5. v. 13. *Sed cum humilibus & ſimplicibus ſermo tuus.* Num hîc vides Gerſenianā ſyntheſin? Ego gemmulam agnoſco Prouerb. 3. v. 32. *O quam ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine?* Hoccine contexuit auctor libelli de Imitatione Chriſti? Adlegit ex Sap. 12. 1. *Qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane*

suauissimo, de cælo descendente, illos reficere digneris. An hoc subtegmen est Gersenis? Gemmæ sunt ex Ioannis Evangelio cap. 6. v. 50. & Sap. 16. v. 20. 21. Iam tu lege verba Doctoris Angelici. *O quàm suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cælo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes.* Obsecro te, si liber *de Imit. Christi* etiam fuisset tempore S. Thomę, credisne, illum potiùs ex hoc libello, quàm ex libro *Sapientiæ*, Evangelio *Ioannis* & Cantico B. V. composuisse hanc Antiphonam? Ausculta porrò ex libello: *Verè non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades vniuersis fidelibus tuis.* Lege nunc verba S. Thomæ: *Neque enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut*

ficut adeſt nobis DEVS noſter. Vtrum ab altero accepiſſe dicis? ego neutrum, ſed vtrumque, pauculis mutatis, ex Deut. 4. v. 7. Eadem ratio cæterorum eſt, quæ in exemplum afferuntur: hauſta ſunt ab vtroque ex eodem fonte diuinarum Scripturarum: vel Kempenſis nonnulla ab Aquinate mutuatus eſt, poſterior à priore, Doctor pius ab Angelico.

TESTIS III.

Ioannes Trithemius Abbas.

IN Scenam prodit, qui inter primipilos hoſtilis exercitûs (ait Caietanus) contra veritatem coactus ſtare, ad ſigna rediens velitabitur veritati &c.

Patientiâ lectoris ne abutar, compendio repetam, quæ dicta ſuo loco prolixiùs. Trithemius ipſe, & çoæui alium auctorem libelli *de Imit. Christi* non agnouerũt, quàm

Thomam Kempensem: verùm quoniam duos eiusdem nominis, patriæ, instituti fuisse, perperã acceperunt, Iuniorem illum opinio multorũ fecit auctorem: Trithemius autẽ, & argumento melior pro Seniore stabat. In Chronico Montis S. Agnetis, quod bis à capite ad calcẽ euolui, adeo Thomas à Kempis vnicus est, vt ab origine illius monasterij vsque ad annum 1477. nemo alius præter nostrum dictus sit hoc nomine *Thomas*. Nemo igitur præter hunc auctor est, nemo præter hunc à Trithemio agnoscitur: & coætanei si idem sciuissent, quod nos ex illo Chronico didicimus, nunquam alterius in mentem venisset auctoris. Trithemius igitur, qui inter primipilos exercitûs nostri pro veritate sponte suâ stetit, etiam deinceps Thomam Kempensem pro virili propugnabit.

TESTIS IV.

Robertus Cardinalis Bellarminus Soc. IESV.

FAuit is aliquando Gerseni, nõ imus inficias; sed quamdiu coniecturâ suâ certius nihil accepit. At macte animi Gersenopoee, nunquámne dubitauit purpuratus ille præsul? cur laneo pede prætereuntur ea, quæ post annum 1610. scripsit, suóq; de Scriptoribus libro inseruit? quæ, inquam, scripsit perlectâ solùm Præfatione Henrici Sommalij? Qui legis ex Præfatione succincta nutantem; quid miraris, quòd, perlectis Rosweydi Vindicijs copiosis ac solidis, in nostram sententiam pedibus iuerit? Non iuit, inquis, cùm ire potuit, post mortem tractus est ad Thomæas partes. Iuit, dum vixit: verùm prereptus morte, se iuisse, testatum orbi non fe-

cit typis: fecerunt alij, quibus certò constabat de illius mente, & formula dicendi. Deinde, cardo rei nostræ non vertitur in vno Cardinali, neq; stridet, tametsi hic dissideret, Quòd recentiores aliquæ editiones palinodiā ipsius non exhibeant, vitio dandum typographorum vel ignauiæ, quòd ex inemendato codice librum recuderint; vel eorum incuriæ, qui fugam schediasmati nequaquam præcluserunt.

TESTIS V.

Iulius Nigronius è Soc. IESV.

QVi totus gratulabundus, cùm de inuento codice Mantuano certiorē fecisset Caietanus, hæc ad eundē perscripsit 11. Ian. 1617. *Quantum gaudeo de inuento Gersene! Ecce veram meam coniecturam, qui eum nominari Gersenem, vnde æquiuocatio*

in Gersonem. Post aliquot versus; *Dominatio Vestra non ægrè ferat, si ego in libris meis imprimendis citem Dominationis Vestræ litteras, in quibus loquitur de Codice Mantuano.*

Edidit Nigronus post annum 1617. Tractatus asceticos complures, impressos Mediolani Anno 1621. typis Ioan. Baptistæ Bidellij. Accipite ergo,

Sicelides Musæ, quæ de Gersene canamus.

I. Tract. *De cura minimorum*, Part. 5. hortam. 6. sub finem, leges, ad quid cohortetur auctor librorum de Imitatione Christi: *Ioannes* vtique *Gersen*? Nihil loqueris; *Thomas à Kempis*. II. Tract. *de necessitate & vtilitate magistri spiritualis*, cap. 2. causâ 3. §. 22. auctor operis de Imitatione Christi laudatur Thomas Kemp. non Ioannes aliquis Gersen, qui fuerit Abbas Vercellensis. III. Tract. *de lectione priuata librorũ spiritualium*,

cap. 3. §. 15. ſummis, ſed meritiſſimis laudibus exornatur non codex Mantuanus, non Ioannes Gerſen, ſed libri IV. de Imit. Chriſti, auctore Thoma Kempenſi. IV. Tract. *de ſeceſſu, & exercitijs ſpiritualibus*, cap. 3. §. 12. de codice Mantuano, de Gerſene inuẽto nec gry; Thomas à Kempis *Topanta*. V. Tract. *De diligentia ſpirituali*, cap. 5. §. 24. Iulius obſignat tertium incitamentum gemmá non Italicá, ſed Germanâ; non Cavaglianâ, ſed Kempenſi; non Gerſenis, ſed Malleoli. Vah totum gratulabundũ Nigronum de inuento codice Mantuano! VI. Tract. eodem c. 6. §. 38. Thomas Kempenſis appellatur expertus magiſter ſpiritûs: nulla Gerſenis mentio, nulla codicis Mantuani. VII. Tract. *de duplici ordine*, cap. 4 §. 27. Thomas à Kempis concordare dicitur cum Humberto & Auguſtino: at Ni-

Nigron⁹ non concordat cum Gerſene, & Abbate Caietano. VIII. *De peculiaribus amicitijs exterminandis*, cap. 3. §. 15. Lucas Pinellus in libro, quem Italicè ſcripſit, *De religioſa perfectione*, ad imitationem aurei libelli *De Imitatione Chriſti*; dicitur ſecutus non Gerſonem, non Gerſenē, ſed Thomam Kempenſem. IX. Tract. eodem, cap. 6. §. 49. bis, térque tundit aures noſtras non ad incudē codicis Mantuani; neq; Ioannis Gerſenis, ſed Thomæ Kempenſis malleolo. X. Tract. eodem; cap. 8. § 57. Thomas à Kempis, magnus magiſter virtutum, ex lib. 1. de Imit. Chriſti c. 8. grauiſſima verba in medium confert. Quid *Ioannes Gerſen?* Nihil, vndique nihil. XI. Tract. & cap. eodem, §. 59. plura ſunt, vnde colligas, quantum Nigronus gaudeat de inuento Gerſene. Per nos igitur Caietano licet, vt ægrè non ferat,

rat, ipsius litteras, in quibus de codice Mantuano loquitur, in libris Iulij Nigroni toties citari. Iam abs te quæro, Lector studiose veritatis, vtrum existimes, Abbatem Caietanum legisse hos Tractatus, vel non legisse? si legit, nónne fallit, afferendo Nigronum testē? Si non legit, an non splendidissimè fallitur? Forsan, inquies, non vacauit legere Abbati, qui à sacrarū litterarum monumentis fuit quatuor summis Pontificibus: vacauit autem Nigrono fidē Mantuani Codicis experiri, & deprehensa vtique est non æquiuocatio *Gersenis* in *Gersonem*, sed *Gersonis* in *Gersenem*. Redeat ergo notissimus ille Societatis IESV scriptor asceticus, vt eum Caietanus Abbas rectè appellat; redeat Iulius Nigronus ad candidos Veritatis amicos, Thomæque propugnatores.

TE-

TESTIS VI.

Bernardinus Rosignolius è Soc. IESV.

PRo Gersene, apud Antoniũ Posseuinum in Apparatu sacro, quo loco mentio fit de Kempensi Thoma, sic ista Luscinia canit. *Ioannes Abbas de Gessen, vel de Gersen, scripsit aureum illum libellum de Contemptu mundi, & Christi imitatione, qui inscribitur propter nominis similitudinem Gersoni, & ab alijs propter styli, & phraseos formulas tribuitur Thomæ de Kempis. Ita habetur in perantiquo MS. exemplari, quod in monasterio Aronensi ad lacum Verbanum, quæ nunc est Domus Probationis Societatis nostræ, ex vetusta Bibliotheca reliquum est, ex quo etiam intelligitur, hunc Abbatem fuisse S. Benedicti monachum, cuius extitit etiam Monasterium, antequã de consensu sedis Apostolicæ commendaretur*

Aberrauit Rosignolius in duobus: primùm, quòd existimauerit codicem illum fuisse reliquum è vetusta monasterij Bibliotheca. Non fuit ex ea reliquus, qui in ea nunquā: fuit sed allatus est Genuâ ab Andrea Maiolo, cuius testificationē tuo commodo hîc subijcio.

Ego Andreas Maiolus Presbyter Societatis IESV, testificor, me anno M.D.LXXIX. cùm Genuâ proficiscerer Aronam ad Domum Probationis Societatis IESV, vt in eam admitterer, detulisse mecum codicē manuscriptum de Imitatione Christi, sub nomine Io. Abbatis de Gessen, siue Gersen, quem in domo paterna reperi, nec scio vnde venerit, eúmque reliqui Aronæ in eadem domo, vbi conseruatus est multos annos, & inde accepit nomen Aronensis codicis à P. Bernardino Rosignolio, & alijs, qui legerunt Aronæ; & ignorantes, quòd ego illum attulerim, existimarunt, ibidem ab antiquis monachis,

nachis, qui illudmonasterium inhabitarunt, esse relictum. In quorum fidem, hoc testimonium meâ manu subscripsi. Cremonæ die XXVIII. Ianuarij. M. DC. XVII. Alterum, quòd, tametsi relictus à monachis illic fuisset, non è vestigio consequeretur, fuisse Gersenem Abbatem Italo-Benedictinum. Nulline alteri Abbates, præter antistites ex Ordine D. Benedicti? Quid sunt Cistercienses? Quid Præmonstratenses? Quid ipsi multis in locis Canonici Regulares? Adhæc an non alterius, quàm scriptoris Benedictini fuit in ea Bibliotheca liber? Diem obijt Rosignolius quadriennio ferè prius, *a*, quàm à Maiolo fide publicâ datum est testimonium, quod si legere licuisset, illicò vadimonium deseruisset. Nunc Testis in errorem inductus, si error detegatur ac manife-

a. Alegambe in Bibliot. scrip. Soc.

nifestetur, tanti erit, quanti, qui est corruptus, & fraude subornatus: nisi quòd hic citra veniam peccet, quia voluntate & industriâ; alter ignarus, tamen paratus resipiscere, vbi rescierit. Quid verò dicam de Abbate Caietano, qui Vindicias Rosweydi vtique legit? Cur, cùm Andreas Maiolus certiorem fecerit, vnde codex ille MS. Aronam commigrauerit, alto dissimulat silentio? cur in aurea quadriga *b.* cum illo, tanquam cum vernaculo, cum insigni, cum Vindice triumphat? cur Bernardinum adhuc testem citat? Testis deceptus, Codex aduentitius, Librarij manus infida, scriptura temporis expers tam feliciter Thomam nostrum exuunt libello, quàm Phœbum lauro excoriatus Marsyas: Et Gersenius, etiã sub hac aurea codicum quadriga,

con-

b. sic appellat Caiet. Apolog. cap. 18.

contra quatuor & septuaginta nostros tã feliciter pugnat, quàm sub Achillis armis Patroclus contra Hectorem.

TESTIS VII.

Antonius Possevinus è S. I.

QVisquis non est ceritæ mentis homo, edicat, an is pro Gersene stet, qui ita scribit? *Libri de Imitatione Christi, varijs iam linguis editi, fuit auctor Thomas de Kempis.* Item; *Nos secuti communiorem sententiam, atque item eorum, qui in Belgio autographum librorum de Imitatione Christi asseruari nobis scripserunt, eosdem tribuimus Thomæ de Kempis.* Primum effatum est in *Io. Gersone* Cancellario Parisiensi; alterum in *Thoma Kemp.* Quæ Gersenianam causam à mille parasangis respiciunt, hæc sunt. Possevinus refert, quæ à P. Rosi-gno-

gnolio accepit. Illáne approbat? non: Improbat? non: In medio relinquit. Quid igitur Caietanus prensat Possevinum? Ioannem Gersenium esse auctorem libelli *de Imitatione Christi*, ex Apparatu Possevini nec omnes. *Eruerint Danai.*

TESTIS VIII.

Christophorus Besoldus I. C.

VIdit in Monasterio Zwifaltensi libros de Imitatione Christi in linguam Germanicam translatos, manúque scriptos anno 1448. Hinc, quia credebat libellum *de Imit. Christi* à Thoma dici compositum fuisse anno 1441, vix iam probabile ipsi videbatur, libellū hunc illico post septennium in linguam Germaniæ superioris conuersum, & in hisce partibus cognitum fuisse. *Adeo vt iam* (inquit) *ferè accedam Constantino Abbati Caietano, qui eundē hunc libel-*

libellum Kempisio antiquiorē, ac adeo à Ioanne Gersen, Italo, Abbate Ordinis S. Benedicti compilatum fuisse censet. Hæc Besoldus Spicileg. Polit. Iurid. 3. de Pacis jure, cap. 1. scripsit ante multos annos. Et primū deceptus est in eo, quòd existimauerit, asserere nos, libellū *de Imit. Christi* à Thoma compositū fuisse anno 1441. atque autographum Antuerpiense esse protographum, & archetypon. Nemo dixit hoc; sed eo anno rursus ab auctore fuisse descriptum, multis autem annis antè compositū: nihil igitur obstat, quo minùs Thomas habeatur auctor prædicti libelli. Deinde, quid triumphant Gerseniani cum isto teste, qui *ferè* accedit Caietano? Qui *ferè* cecidisset in lutum, ille non cecidit: qui ferè suspensus esset, non est suspensus: sic qui *ferè* accessisset Caietano, is non accessit: qui *ferè* ipsi credit, non credit.

dit. Et ſe non acceſſiſſe Caietano, clariſſimis verbis effatur Beſoldus in Synopſi Politicæ doctrinæ, denuò reuiſa, correcta, & auctiore edita Ingolſtadij A. 1637. qui fuit laborum penè poſtremus: libro igitur 2. cap. 2. n. 17. ita ſcribit: *Pietati magis, quàm acumini opera eſt danda: cùm timor Domini, initium Sapientiæ deprædicetur, omnéque acumen non immeritò culpetur, ſi à pia ſimplicitate ſit disiunctum. Thomas de Kempis 1. c. 1. & paſſim.* Nullus hîc Gerſen: nullus aſſecla Caietani. In Motiuis denique conuerſionis ſuæ, quæ paulò ante mortem typis vulgauit, videre eſt, an poſtremò Beſoldus penitus Caietano acceſſerit. In epiſtola Dedicatoria ad Sereniſſimum Bavariæ Electorem Maximilianũ ſcribit, ſe plurimùm adiutũ fuiſſe libris *Ioannis Tauleri, Ioannis Ruisbrochij, Henrici Suſonis, Thomæ de Kempis.* Num etiã *Gerſenis*

qui

qui nullos scripsit, qui nunquam fuit? Capite 7. refert, Schwenckfeldium, hominem acatholicum, plurimùm vti solitũ pretioso, catholicóq; tractatu Thomę à Kempis de Imit. Christi. Quàm crudeliter proinde vrget formidabile illud ERGO, quo Caietanus librum suum claudit, hunc in modum: *Hæc Besoldus Doctor Germanus pro Gersene nostro contra Rosvveydi Kempensem. Ergo.* Quid sequitur, Caietane? Sex puncta [......] vt video in Editione Romana. Nimirũ horribilissimum sufflaminandæ conclusionis impetum non potuit sustinere vnicum Punctum.

Atque isti sunt præcipui aduersariorum nostrorum Testes; Doctores Angelicus & Seraphicus, qui cùm Gersenis nõ meminerint, (quî autem meminisse potuerunt illius, qui nunquam fuit?) miror tam ambitiosè citari: Ioannes Trithe-

themius, Iulius Nigronus, Antonius Possevinus, qui disertis verbis pro Thoma Kempensi pronunciant: Bernardinus Rosignolius, qui falsus est animi circa codicē Aronensem: Robertus Bellarminus, qui palinodiam cecinit: Christophorus Besoldus, qui quondā *ferè*, per totam verò vitam accessit Caietano nunquā. Thomæ nos Kempensi judiciū Centumvirale dedimus: & ecce tibi sub vnū intuitū

NOMINA CENTVMVIRORVM,

Qui stant pro Thoma de Kempis.

I. Ioannes Buschius, Can. Reg. S. Aug. 1464.
II. Matthias Farinator, Carmelita. 1475.
III. Auctor anonymus Vitę Thomę Kemp.
IV. Petrus Schottus, Can. Argent. 1488. & 1489.
V. Ioan. Trithemius, Abbas Ord. S. Bened. 1494.
VI. Georg. Pirckamer, Prior Carth. Norim. 1494.
VII. Petrus Danhausser, Norimbergensis. 1494.
VIII. Ioannes Kaisersbergius, anno 1498. 1499.
IX. Ioan. Mauburnus, Canonic. Reg. Ord. S. Aug. Abbas Liuriacensis. - - - 1500.

X. Ia-

X. Iacob' Philip. Bergom. Erem. August. 1503.
XI. Iodocus Badius, anno 1520. 1512. & 1523.
XII. Alardus Amstelredamus, Presbyter. 1532.
XIII. Seraphinus Firmanus, C. Reg. S. Aug. 1538.
XIV. Societas IESV à S. Ignatio summo huius libelli æstimatore instituta. - 1540.
XV. Ludouicus Granatensis, Ord. Prædic. 1542.
XVI. Conradus Gesnerus, Tigurinus. - 1545.
XVII. Gabr. Putherbe', monach. Fōtebral. 1548.
XVIII. Nicola' VVinghius, C. R. O. S. Aug. 1548.
XIX. Adamus Sasbout, Ord. Minorum. 1550.
XX. Nicolaus Mameranus, Lucemburg. 1553.
XXI. Benedictus Vernierus, Ord. S. Bened. 1554.
XXII. Conradus Brunus, IC. Cancell. 1554.
XXIII. Iosias Simlerus, Tigurinus. - 1555.
XXIV. Ioan. Gropperus S. R. E. desig. Card. 1556.
XXV. Auctor præfationis ad edit. Coloniæ 1563.
XXVI. Ioan. Garetius, C. R. Ord. S. Aug. 1565.
XXVII. Guilielmus Eisengreinius Spirensis. 1565.
XXVIII. Nicol. Grenierius, C. R. O. S. Aug. 1565.
XXIX. Henricus Pantaleon. - - - 1565.
XXX. Simon Verepæus, Presbyter. - 1567.
XXXI. Balthasar Aluarez, Soc. IESV. 1567.
XXXII. Ludouicus de Ponte, Soc. IESV.
XXXIII. Ioā. Nasus, Ord. Min. Suffr. Brix. 1568.
XXXIV. Petrus Ribadeneira, Soc. IESV. 1569.
XXXV. Franc. Tolensis, C. Reg. O. S. Aug. 1575.
XXXVI. Ioan. Vlimmeri', C. R. O. S. Aug. 1576.
XXXVII. Tilmānus Bredēbach, Can. Col. 1578.

XXXVIII.

LXVII.

LXVII. Balduinus Junius, Ord. Min. Obs. 1622.
LXVIII. Georgius Voglerus, Soc. JESV. 1623.
LXIX. Henricus Spondanus. - - - 1623.
LXX. Seruatius de Lairuelz, Ord. Præm. 1623.
LXXI. Maximilianus Sandæus, Soc. JESV. 1624.
LXXII. Ioannes les Peßier, Soc. IESV. - 1624.
LXXIII. Hieremias Drexelius, Soc. JESV. 1624.
LXXIV. Gabriel Pennottus, C. R. Later. Ab. 1624.
LXXV. Cornelius à Lapide, Soc. JESV. 1625.
LXXVI. Joannes Nieß, Soc. JESV. - - 1625.
LXXVII. Siluester Petra sancta, Soc. IESV. 1626.
LXXVIII. Henricus VVangnereckius, S. I. 1626.
LXXIX. Abrahamus Bzouius, O. Prædic. 1627.
LXXX. Georgius Stengelius, Soc. JESV. 1627.
LXXXI. Prosper Farandus. - - - - 1627.
LXXXII. Iacobus Corenus, O. Min. R. Ob. 1627.
LXXXIII. Petrus Brunsemius, Can. Colō. 1629.
LXXXIV. Benedictus Haeften', O. S. Bened. 1629.
LXXXV. Iacobus Marchantius, Past. Cow. 1630.
LXXXVI. Auctor Fastorum Marianorum. 1630.
LXXXVII. Matthias Faber, nunc Soc. JESV. 1631.
LXXXVIII. Iustinus Miechouiēsis, O. Præd. 1634.
LXXXIX. Ioan. Eusebius Nieremb. Soc. I. 1635.
XC. Ioannes Tollenarius, Soc. IESV. - 1635.
XCI. Marcellus Mastrillus, Martyr Soc. I. 1636.
XCII. Christophorus Besoldus, I. V. D. 1637.
XCIII Guilielmus Lamormaini, Soc. Jesu. 1638.
XCIV. Ioannes Baptista Vwenus, Soc. Iesu. 1640.
XCV. R. D. Leonardus Mayr, Par. Neob. 1642.

XCVI.

XCVI. Paulus Zehentner, Soc. IESV. 1643.
XCVII. Valerius Andreas Desselius, I.V.D. 1643.
XCVIII. Paulus de Barry, Soc. IESV. 1644.
XCIX. Ægidius Gelenius, Hist. Archiep. Col. 1645.
C. Vincentius Carrafa, Præp. Gen. Soc. Iesu. 1646.
CI. R.mus D. Gaspar Zeillerus, Epis. Adram. 1647.
CII. Petrus Braierus, S. I. Theol. Prof. Ing. 1648.
CIII. Ioannes Angelus Rossius, Barnabita. 1649.
CIV. Simon VVerlinus, Præp. Diessen. - 1649.
CV. Theophilus Raynaudus, Soc. IESV. 1649.

In testibus dignitas, fides, mores, grauitas examinanda est; vt habetur *Digest. lib. 22. Tit. 5. De testibus, leg. 2.* quarum rerum nullā his nostris deesse testibus arbitramur. Quòd si quis tamen quibuscunque de caussis veris, in unius pluriúmue Testium nostrorum personas exciperet, ecce tibi alios, quos è vestigio possis substituere.

Antonius Sucquet S.I. *De via vitæ æternæ.*
Bernardus Bauhusius, *Lib 1. Epigr.*
Casparus Tauschius, *De fontib. Saluatoris.*
Christianus Mayer, *Enchirid. Industriarum.*
Fabian. Justinianus, *De sacro Concionatore.*
Georg. Reeb, *Reg. prudentiæ Christianæ.*
Hugo Roth, *Via regia virtutis.*

Joan.

Ioan. Frontæus, Vindex Kemp. in Gallia.
Ioan. Suffren, *In circo Perfectionis.*
Petrus Bennequin, *Introd. ad Amor. diu.*
Philippus Alegambe, *Biblioth. Script. S. I.*
Philip. D'oultreman, *Pædag. Christ.*
Theoph. Bernard. *De relig. perseu. præsid.*

Conclusio.

IAm ad vos Orationem conuerto, Gerseniani Vindices, atque verbis illius maximi Ecclesiæ Doctoris Augustini, quemadmodum ab illis principiũ sermonis duxi, cùm cogerem testium nubem, vos postremùm alloquor. Si rectè is, quem omnis huius dissertationis auctorem habeo, si omnino sapienter, si ad quorumuis hominum captum ille accommodatè sic constituit, vt ij demum Hippocratis libri vulgò censeantur, quos ab ipso Hippocratis tempore vsque ad ætatem nostrã successionis series ita commendauerit, vt jam dubitare de-

mentis sit; quid pro Thoma Kempensi, pro filio suo grauissimus Pater, æquissimúsque Iudex constitueret ac pronunciaret, si tam altè repetitam memoriam legeret? tam multos longo ætatis ordine stantes pro tribunali conspiceret? Si tanto judicio, doctrinâ, pietate, diligentiâ præditos testes intueretur? dementis vtique esse, dubitare; ac multo magis, obnunciare, alterius esse, quàm Thomæ Kempensis partum, libros quatuor laudatissimos *de Imitatione Christi*: citari testes scriptorésque coætaneos, vicinos, familiares, domesticos; qui, cùm adulandi causam non haberent, ambitionémque voluminum adscititiorum detestarentur, verbis minimè fucatis, aut obscuris, illi attribuerent. Neque eos erroris coarguere nobis licere; si enim ignorarent ij, quem denique fore

iam

iam, qui non ignoret? Ostendant Gerseniani ex probatis tabulis primùm, Gersenem aliquem aliquando alicubi extitisse; tum fuisse monachum, & quidem Benedictinum, Abbatem denique creatum esse Vercellensem; postremò illum ipsum esse germanum parentem atque auctorem opusculi celeberrimi *de Imitatione Christi*: nam adulteratos, flagitiosos, trinomines, imaginarios, eósq; perpaucos, vt in singulis vnius dexteræ digitis asportentur, codices, præ nostris tot, ridemus. eum, qui Gersenianũ classicum primus cecinit, Bernardinũ Rossignolium, quia deceptus est opinione sua, non moramur: reliquos argumentis non firmissimis inductos facilè destituros confidimus, si, quemadmodum contestantium virorum grauissimorum nos coëgimus concilium eius auctorita-

tis, vt non illicò explodatur; tantæ consensionis, vt ab ipsius Thomæ tempore ad hanc vsque, quam viuimus nos, ætatem liber deferatur Kempensi; si, inquam, illi viderint se Gersenem ab anno M.CC.XX. ad nostros vsque annos pari fidelitate codicum, pari multitudine testium devoluere nullis suppetijs posse. Quæ cùm sint eiusmodi, cùm Gersenis nemo vnquã meminerit, cùm codex tam integrâ fide, tam annosus (non qui videatur aduersarijs, sed qui re verâ sit illius peractæ ætatis) nec dum proferatur, qui auctorem habere nequeat Thomã, cùm nullus coætaneus, nullus vicinus, nullus familiaris, nullus domesticus pro Gersene testimonium dicat, sed cùm post trecentos ampliùs annos, quàm vixisse Gersen creditur, primùm ex infido flagitiosóque codice Aronensi diuinare de alio

quo-

quodam auctore cœperit is, qui putauit librum esse à monachis ibi relictum, cùm eò fuerit à tirone Societatis allatus Genuâ, ignaro, *Qui genus, vnde domo patrias irrepserit ædes*; & qui, vt relictus etiam esset, quâ ratione persuaderet, auctorem suum esse monachum atq; Abbatem Italo-Benedictinum? non est profectò, cur sanctissimi viri Thomæ Kempensis, in Vbijs nati, denati in Transisalanis nomen, gloriam, & duûm sęculorum aditam jure optimo possessionem ob causas non potentes patiamur temerè labefactari.




PAN-

SVMMVLA APPARATVI CONSTANTINI CAIETANI ABBATIS AD JOANNEM GERSEN RESTITVTVM OPPOSITA.

ARGVMENTA COLLEGIT AC DISSOLVIT

GEORGIVS HESER E SOCIETATE JESV.



Cum Facultate Superiorum.

INGOLSTADII
Ex Typographia Wilhelmi Ederi, apud Ioannem Ostermayr.
M. DC. L.

QVÆSTIO
Quis ſit Auctor librorum quatuor de Imitatione Chriſti?

Theſes Gerſenianorum.

1. *Ioannes Gerſen, de Canabacco, Italus, Ord. S. Benedicti, Abbas Vercellenſis S. Stephani, eſt verus & germanus auctor librorum 4. de Imitatione Chriſti.*

2. *Thomas à Kempis non eſt Auctor, ſed exſcriptor tantùm librorum de Imit. Chriſti.*

3. *Ioannes Gerſen vixit circa annum Domini 1220.*

4. *Thomas à Kempis ſuum autographum ac prototypon ſcripſit Anno 1441. quo cùm anteriores habeantur Codices, is non poteſt eſſe Auctor, ſed Amanuenſis tantùm.*

Theſes Kempenſium.

1. *Thomas Malleolus à Kempis, Germanus, Cãn. Reg. Ord. S. Auguſt. in monte S. Agnetis prope Zvvollã eſt verus & germanus auctor librorum 4. de Imit. Chriſti.*

2. *Thomas à Kempis eſt Auctor, idéque deſcriptor ſuorum librorum de Imit. Chriſti.*

3. *Ioannes Gerſen non vixit circa annum 1220. nec antè, nec pòſt, quia vixiſſe hunc hominem, vnde certò conſtat?*

4. *Thomas à Kempis autographum ſuum rurſus deſcripſit A. 1441. prototypon verò compoſuit & ſcripſit circa annum 1410. quo cùm anterior Codex prolatus non ſit, ipſe eſt dicendus auctor.*

INCIPIT SVMMVLA CAIETANI.

ARG. I.

Collat. S. Bonaventura.

S. Bonaventura longè anterior Thomâ Kempensi, in collatione 7. ad FF. Tolosanos laudat deuotum libellum de Imit. Christi. Ergo illius libelli auctor non est Thomas à Kempis.

Respondimus fusè *Dioptræ Kemp. Parte 2.* In Summulam hæc sufficiant. S. Bonaventura non est auctor illarum octo Collationum, propterea quòd Collat. 1. citetur Vbertinus, qui natus est Anno C. 1259. quo Bonaventura iam per triennium fuit totius Ordinis Minister Generalis: qui Anno 1273. quo Bonaventura creatus est Cardinalis & Episcopus Albanensis, adolescens annorum quatuordecim

tim ingressus est ordinem Minorum: qui Anno 1305. ab inita religione trigesimo secundo; à morte S. Bonaventuræ, trigesimo primo; trium mensium & septem dierum spatio composuit librum, cui nomen *Arbor vitæ crucifixæ*. Ita tradit accuratissim⁹ Annalium Ordinis sui Seraphici scriptor, Lucas Waddingus Tom. 2. ad annum 1299. §. 4. Quomodo igitur Bonaventura potuit afferre sententiam ex libro, triginta & ampliùs annis post mortem suam primùm conscripto? Quo item pacto poterit esse auctor illarū octo Collationum, certè vt nunc circumferuntur? Si quis ergo dixerit, illa Vbertini verba in primam collationem, quo modo nescitur, irrepsisse, & nos dicemus, illa quoque Thomæ Kempensis verba in septimam irrepsisse collationem; donec ista, vt modò habetur, in-

tegra ostendatur ex eiusmodi codice, qui scriptus sit eo tempore, quo Thomas à Kempis necdum vixit, aut scripsit: siue dein Bonaventura, vel alius quicunque illarum sit auctor, dum sit antiquior, quàm Thomas à Kempis.

ARG. II.

DOctor Angelicus è libello *de Imitatione Christi* nonnulla in suum pro festo Corporis Christi Officium transtulit. Ergo Thomas à Kempis non est auctor illius libelli.

ex Offic. S. Thomæ de Corp. Christi.

Thomas Aquinas nihil mutuatus est è libello *de Imitatione Christi* necdum nato, sed auctor huius libelli Thomas à Kempis ex illo Ecclesiastico Officio, quod ipsi notissimum erat, vuas nonnullas vindemiauit. Seu potiùs neuter ab altero, sed vterque ex diuinis scripturis mensam suam pretiosis dapibus opulentauit, vt ostendimus

mus Parte 2. Dioptræ. Atque istud respondebimus, donec ostenderint Aduersarij codicem, qui sit antiquior ipso Thoma Aquinate, vel certè par ætate, vnde potuerit aliquid mutuari.

ARG. III.

TRithemius lib. *de Scriptoribus Germ.* opusculum de Imitat. Christi abjudicat Thomæ Kempensi. Ergo hic non est auctor illius opusculi. *Ex Bā. Truthē.*

Non abjudicat Thomæ Kempensi libros *de Imit. Christi*. Quod vt ostendam, adverte primùm, Trithemium putasse, duos fuisse huius nominis, nimirum *Thomas*, ambos de Kempis, ambos Can. Regulares in monte S. Agnetis: Deinde, non an alius aliquis, sed de his duobus dubitatum fuisse, vter esset auctor librorum de Im. Christi; atque alios pro Thoma à Kempis juniore, alios pro Thoma

ma à Kempis seniore pronũciasse. His animadversis, aio, quod ad primum attinet, famâ deceptum fuisse Trithemiũ, si credidit, quod scripsit; *Duo feruntur huius fuisse nominis.* At, *Duo feruntur*, inquit cautè, nõ categoricè, *Duo fuerunt huius nominis*, Thomæ de Kempis, ambo Regulares in monte S. Agnetis: re enim verâ non duo fuerunt Thomæ Kempenses in illo Asceterio, sed unicus valdè grandæuus, duos & nonaginta natus annos. Atque tantùm abest, vt duo fuerint Thomæ Kempenses, vt ab origine illius monasterij, ab anno videlicet 1398. vsque ad annũ 1477. nemo præter hunc appellatus fuerit isthoc nomine *Thomas*. Lege, si placet, Chronic. montis S. Agnetis, & reperies, non nisi unicum hunc fuisse Thomam. Deinde si etiam duo fuissent Thomæ Kempenses, Trithemius ait,

juniorẽ ex illis non potuisse scribere libellum, vt qui penè suis temporibus in humanis adhuc fuerit: sed ex his seniorem debere dici auctorem libelli, propterea quòd seniores seniorum ipsi⁹ jam lectitauerint eum libellum. Nunc cùm testatissimum sit, non nisi unicum fuisse Thomã à Kempis in monte S. Agnetis, hunc, & alium neminem Trithemius asserit esse auctorem.

Vrget Caietanus verba Trithemij illa; *Quamuis sciam nonnullos in hac re sentire contrarium.* Quæ si ita interpretetur, quasi vtrique Thomæ Kempensi (quos in eodẽ fuisse Asceterio, famà fallaci, didicitum) tam seniori, quàm juniori librum de Imit. Christi abjudicet, vel ab alijs abjudicari sentiat, penitus aberrat à mente Trithemij, qui rectè asseruit senioris esse, *quamuis*, inquit, *sciam non nullos in hac*

hac re (vter videlicet ex ambobus Thomis Kempensibus auctor sit, junior an senior?) *sentire contrariũ*, diceréque, Iunioris esse. De tertio aliquo auctore ne somniauit quidem.

Vbi apertis machinis nihil efficitur, cuniculos agit Caietanus Apolog. c. 6. pag. 40 & ; Trithemius, inquit, duos agnoscit Kempenses fratres; Seniorem, quem ipse Thomam, Joannem Aduersarij appellant: & junioré, qui confessione omnium dicitur Thomas. De his duobus, ait Caietanus, contentio fuit, vter illorum auctor esset libelli *de Imit. Christi*. Non Senior ille: nam in confesso est, Joannem de kempis Thomæ fratrem natu maiorem, neque hunc, neque alium composuisse libellũ. Non Junior: nam huic Trithemius disertis verbis denegat libellum *de Imit. Christi*. Ergo neuter istorum

rum Kempensium fratrum, id est, neque Senior, Joannes nomine, sed Trithemio per errorem dictus Thomas; neque junior, verè dictus Thomas, auctor est opusculi controuersi. Detegamus cuniculos, & enucleatè singula perpendamus. Duos, inquis Caietane, Trithemius isthoc loco agnoscit Kempenses fratres? Negamus: sed duos agnoscit Thomas Kempenses, siue fratres illi fuerint, siue non fuerint, nihil pensi habet. Legamus verba: *Duo feruntur huius fuisse nominis, ambo de Kempis, ambo Regulares in monte S. Agnetis.* Nonne potuerunt esse duo Thomæ, ambo oriundi ex eadem ciuitate Kempensi, ambo eiusdem cœnobij Religiosi, nec tamen fratres, nec cognati, sed solummodo ciues? Ais præterea Caietane, seniorem illum ex fratribus duobus, cui nomen erat Ioannis, dici à Trithemio

themio

themio Thomam? Negamus: nam illum Thomæ à Kempis fratrem natu majorem dici Joannem, qui potuit ignorare Trithemius, qui libro *de Scrip. Germ.* asseuerat, se Joannis Buschij (quem ipse Arnoldum de Busco vocat) Windeshemensis Chronici vtrumque librum euoluisse, vbi toties mentio fit *Ioannis de Kempis*, qui fuerat frater Thomæ à Kempis natu maior? Ais denique Caietane, de his duobus Kempensibus fratribus ortam esse controuersiam, uter sit auctor libelli *de Imit. Christi*? Negamus: non de duobus fratribus Kempensibus orta est contentio, sed de duobus Thomis eiusdem nominis, ex eadem ciuitate Kempensi oriundis, etiamsi non fuissent fratres, siue cognati, orta est contentio, vtri partus iste nobilissimus tribui deberet: & Trithemius à partibus Senioris ste-

stetit, quia dudum à senioribus seniorum suorum liber fuisset lectus. At quoniam vnicus tantùm fuit Thomas in monte S. Agnetis per nouem & septuaginta annos, quis fuit ille Thomas, qui auctor esse potuerit, præter hunc? Et si vnicus tantùm fuit, nónne is eo tempore libellum suum publicauit, quo seniores seniorum Trithemij legere potuerunt, & legerunt? Rectè proinde Trithemius tam in libro *de Script. Germ.* quàm *de Script. Eccles.* ponit hunc scriptorem Germanum & Ecclesiasticum, hisce libris scriptis, quos vtrobique in fronte collocat, effloruisse Anno 1410. Quoniam igitur gratis excogitauit Caietanus, eum, qui dictus est Joannes à Kempis, & Thomæ frater fuit maior natu, & qui confessione omnium proprio Marte nihil scripsit, etiam Thomam à Trithemio fuisse

fuisse appellatum; quò nimirum sic ostenderet incautis, Thomæ illi seniori nostrâ concessione, Thomæ verò natu juniori testificatione Trithemii abjudicari libros *de Imit. Christi*, vt occurramus substructioni, respondemus distinguendo. Trithemius abjudicat libros de Imit. Christi ex duobus fratrib⁹ Kempensibus juniori, Negatur. Abjudicat ex duobus Thomis Kempensibus (quos fama illi nunciabat in eodem monasterio fuisse) juniori, conceditur. Atqui cùm non extiterint eo tempore duo Thomæ Kempenses in monte S. Agnetis, siue fratres, siue cognati, siue ciues tantùm, nihil ad effugium facit Senior & Iunior Thomas, sed auctor libelli Trithemio est ille vnicus, quem nos propugnamus. Atque hæc propè vberiùs, quàm pro Summula.

ARG. IV.

ROBertus Card. Bellarminus è Soc. JESV lib. de Script. Ecclesſ. ſubtraxit libello *de Imitatione Chriſti* cùm Thomam à Kempis, tum Ioannem Gerſonem Cancellarium Pariſienſem: pro quibus inſtituit ex Aronenſi codice Ioannem Gerſenem. Neuter ergo illorum dicendus eſt libelli auctor. Ex Rob. Cardin. Bellarm.

R. Abdicauit aliquando Bellarminus Thomam à Kempis, antequam legit Henrici Sommalij *Præfationem*, & Roſweydi *Vindicias Kempenſes*. Poſteaquam verò illam primò legit, cœpit nutare. Legantur verba poſt annum 1610. à Cardinali adiecta, *a*. quæ laneo pede tranſiuit Caietanus. Perlectis dein P. Heriberti Roſweydi *Vindicijs Kempenſibus*, ſic A. 1621. in lib. de Script. Eccleſ. poſt recen-

a. *Edit. Colon. 1613. de Gerſone, & Part. 2. Dioptra §. 66.*

censita Thomæ Kempensis Opera, edi curauit: *Scriptos & compositos fuisse ab eodem Thoma libros de Imit. Christi suprà scriptos, contrarijs conjecturis euersis, demonstrat euidenter in Vindicijs Kempensibus Heribertus Rosvveydus Societatis IESV: cuius mihi rationes plenissimè satisfecerunt, & sententiam penitus amplector.* Iam totus in eo Caietanus est, vt hanc palinodiam non à Bellarmino cantatam, sed intrusam libro post obitū Auctoris demonstret. Verùm littus arat. Palinodia viuo quidem auctore, qui illam cecinit, typis impressa non est: at quia de ipsius mente, de formula modóque loquendi, de voluntate, vt libro deinceps imprimendo ea verba inserantur, viris grauissimis certissimò constabat, citra vllam imposturam hæc est apposita. Et quòd in Lugdunensi Editione anni 1630. non reperiatur, nos neuti-

neutiquam arguit imposturæ, sed vel Gersenianos illaudatæ castigationis, vel typographos incuriæ: quòd illi nimirum verba aduersum se prolata suppresserint; vel isti ex inemẽdato codice librũ recuderint. Hîc iterum Caietanus inuadit Rosweydum, & si Bellarminus (inquit) verè mutauit sententiam suam de Gersene, potuit vtique rescire Rosweydus. Potuerit: ergo resciuit? *O lex Dialectica, dormis!* Et fac ita esse, vt rescierit: ergo debebat secundæ *Vindiciarum* editioni inserere? *Erras profectò* (vt tuis verbis vtar, Caietane) *erras longissimè.* Voluit Rosweydus Vindicias suas nõ auctiores edere, sed antiquas recudere: voluit laudes suas, vt quòd contrarias coniecturas euerterit, quòd euidenter demonstrauerit, quòd rationes ipsius plenissimè satisfecerint, modesto silentio præterire.

Arc.

ARG. V.

Ex litteris I. Nigroni. IVlius Nigronus è Soc. IESV in litteris ad Caietanum datis 11. Ian. 1617. *Quantum,* inquit, *gaudeo de inuento Gersene? Ecce veram meam coniecturam, qui eum nominaui Gersenem, vnde æquiuocatio in Gersonem, &c.*

R. Quidquid Anno 1617. Nigronus scripserit, in asceticis suis Tractatibus, quos edidit post hunc annũ plurimos, plus quàm duodecies Thomas à Kempis asseritur, & laudatur vt auctor librorũ IV. de Imitatione Christi. Vide meam Dioptram part. 2. § 65 & in Examine Testium §. 5.

ARG. VI.

Ex opin. Rosign. BErnardinus Rosignoli⁹ è Soc. IESV apud Anton. Posseuinũ in Apparatu sacro, dum de Thoma Kempensi tractat; *Ioannes,* inquit,

quit, *Abbas de Gessen, vel de Gersen, scripsit aureum illum libellum de contemptu mundi, & Christi imitatione, qui inscribitur propter nominis similitudinem Gersoni, & ab alijs propter styli ac phraseos formulas tribuitur Thomæ de Kempis.*

℟. Opinatus ita Rosignolius est ex codice Aronensi, non antiquo, & sanè flagitioso (quem tamen Caietanus ausus est venditare pro autographo Gersenis) ob duas, quas ibidem Posseuinus affert rationes, quibus euersis, tota corruit opinatio. Persuasit sibi, codicem illum Aronensem ex antiqua Monasterij quondam Benedictinorum Bibliotheca reliquum fuisse. Non fuit: sed allatus est Genuâ ab Andrea Maiolo Anno 1579. cùm adiret tirocinium Societatis IESV, quem in domo paterna repertum ipse nescit, vnde venerit. Ita ille contestatus est

Anno 1617. apud Rosweyd. c. 14. Vindic. Deinde fuerit sanè codex ille reliquus è Bibliotheca Aroanensis Monasterij, quæ est ista insolens consecutio; Ergo auctor librorum de Imit. Christi fuit Abbas ex Ordine S. Benedicti? quasi verò non alij sint, fuerintque Abbates, quàm Benedictini? aut aliorum scriptorũ libri in illa Bibliotheca non fuerint, quàm Benedictinorum? Adhæc infidissima librarij manus, nunc *Gesen*, nunc *Gessen*, nunc *Gersen* obtrudentis, indiciũ facit, nomen *Ioannis Gerson* Cancellarij Parisiensis scribi oportuisse, quem per errorem vocarit Abbatem, vel quia ipse Decanus fuit collegij Canonicorum; vel quia fratrem habuit germanũ itidem Ioannem Gerson, antistitem Cœlestinorũ Lugduni. Quo errore si lapsus est imperitus librarius, quid miraris? lapsus est eo-

eodem doctissimus Posseuinus. *a.*

ARG. VII.

ANtonius Posseuinus in Apparatu Sacro, de Thoma Kemp. scribens, idem Caietano sentire videtur de Gersene, quod Bernardinus Rosignolius sensit. *Facere haud possumus*, ait, *quin hic adijciamus, quæ à Bernardino Rosignolio Societatis nostræ Theologo accepimus, &c.* *Ex Appar. Posseuini.*

℞. Posseuinus, quæ à Rosignolio accepit, refert; quoniam verò nec approbat, nec improbat, sed rem in medio relinquit, quomodo testis est pro Gersene? Qui autem *in Ioanne Gerson* ita scripsit, illi nonnullos attribui libros, qui ipsius non sint, *Qualis est liber de Imit. Christi, varijs iam linguis editus, cuius fuit auctor Thomas de Kempis*: quomodo is testis non est

 con-

a. *Appar. Sacro, vbi Gersonem Cancellariũ facit monachum Cœlestinum.*

contra Gersenem? Item qui in Thoma Kemp. ita scripsit: *Vbi de Ioanne Gersone egimus, nos secuti communiorem sententiam, atque eorum, qui in Belgio autographum librorum de Imitatione Christi asseruari nobis scripserunt, eosdem tribuimus Thomæ de Kempis.*

Arg. VIII.

Ex opin Sirmondi.

IAcobus Sirmondus de Codice Claromontano, quē Francisco Valgrauio commodauit, edicit, *se certò credere, illius codicis characterem demonstrare Auctorem Kempensi antiquiorem: in textu verò disertis verbis designari Auctorē fuisse Monachū, non Canonicū Regularem.*

℞. 1. Si disertis verbis in textu designatur, Auctorem fuisse Monachum, non Canonicum Regularem, ostendat Valgrauius ex tribus libris de Imitatione Christi, nam quartū Claromontanus codex non habet, alterutrā istarum pro-

propositionum; *Auctor horum librorum fuit monachus: Auctor horum librorum non est Canonicus Regularis*. Quarum primam tametsi Valgrauius claris, disertis, & expressis verbis scriptā ostenderet, haud tamē sequeretur, Auctorem illum non fuisse Canonicum Regularem: de quo plura inferiùs.

℞. 2. Cùm codex Claromontanus non habeat adiunctum Auctoris, nec Antiquarij nomen; non signetur anno, quo exaratus sit; character ipsius nullo modo demonstrat Auctorē Kempensi antiquiorem, quē composuisse hos libros ostendimus circa Annum 1410. sed est coniectura tantùm. De qua audi, quid Iacobus Sirmondus Parisijs ad me perscripserit die 29. Augusti 1648 *Quoniam & in veterum codicum ætate falli procline est, & in noua ista lucubratione, quæ Coloniæ nunc euditur* (fuit

Rosweydus Rediuiuus R^mi. Dom. Simonis Præpositi Diessensis, eò tunc missus, vt imprimeretur.) *erunt fortasse, quæ persuadeant. Id si eueniet, non repugnabo, nec grauatè feram, ab errore me deduci, gratiámque ijs habebo, qui veritatem, quam vnà optamus, ostenderint.* Hæc de Codice Claromontano, & Gersene *Sirmondus Pater eruditionum.*

ARG. IX.

Ex opinione Besoldi

CHristophorus Besoldus penes se libros de Imitatione Christi habuit, in linguam Germanicam translatos, manúque scriptos anno 1448. hinc ita argumentatur in Spicilegio Politico-iuridico tertio de Pacis iure, cap. 1. Thomas dicitur composuisse hosce libros 1441. non est ergo verosimile, statim post septennium in linguam Germanicam superiorem conuersos, & in partibus hisce fuisse cognitos.

R. Ne-

℞. Nemo dicit, Thomam à Kempis eo anno primùm composuisse, sed descripsisse iterum hos libellos suos, compositos ante annos triginta. Deinde si composuisset etiam eo primùm anno, cur intra septennium non potuisset liber in his partibus innotescere? verti? describi? Vnde Besoldus non concedit in sententiã Caietani, sed tantùm *ferè* accedit ipsi, qui hunc libellum Kempisio antiquiorem, & à Ioanne Gersen compilatũ fuisse censet. Et nunquam penitus accessisse Caietano, docebit ipsius *Synopsis doctrinæ Politicæ* recusa Ingolstadij A. 1637. lib. 2. cap. 2. num. 17. *Motiua* item conuersionis ipsius, cap. 7. vbi Thomas à Kempis agnoscitur auctor horum librorum.

ARG. X.

LVdouicus XIII. rex Galliarum Christianissimus anno 1642. libros *ex mãd. Regis.*

libros quatuor de Imitatione Christi typis regijs elegantissimis imprimi iussit sine alicuius nomine. Ergo auctoritate regia Thomas Kempensis abdicatus est.

℟. Si propterea Thomas abdicatus dicitur, quòd nomen ipsius prætermissum sit; eandem ob caussam dicendus est abdicatus Ioannes Gersen, cuius itidem non est appositum nomen. Excipit Caietanus istiusmodi verbis: *Nec tibi ipsi persuadeas velim, Lector, quòd abdicato Kempensi, simul & Ioannes Gersen abdicari debeat: quia cùm duo essent in controuersia, videlicet, an Kempensis possessio legitima esset, & cui adjudicari deberet; ac primus articulus tanquam clarus & indubitatus* (si non propter alias rationes, quàm quæ huc vsque allatæ sunt, minimè clarus, & maximè dubius) *iam definitus esset, alterius decisio prudenter fuit prætermissa,*

tan-

tanquam requirens magis exactam deliberationem.

℞. Cur verò magis exactam adhuc requirit deliberationem, nisi quia de Gersenis causa necdũ liquet? Quòd si necdum liquet, sanè R.mus D. Gregorius Tarrisseus *pro Ioanne Gersen rationes efficaces* (quas paulò antè iactabat Caietanus) in medium haudquaquam proposuit: Francisci quoque Valgrauij non fuerunt *euidentissima Testimonia*, (qualia tamen esse testantur Doctores Sorbonæ) *quibus asseritur, Ioannem Gersen, Vercellensem Abbatem, librorum de Imitatione Christi esse verum auctorem, non Thomã à Kempis.* Quomodo enim euidentissima testimonia sunt, & quomodo rationes sunt efficaces, quæ istud efficere nequierunt, vt, cùm duo tantùm essent in controuersia, nimirũ an Thomæ Kempẽsis possessio legitima esset,

& cui adiudicari deberet; posteaquam primus articulus, videlicet Thomæ Kempensis possessionem non esse legitimam, tanquam clarus & indubitatus iam definitus esset, Ioannē Gersenem mitterent in possessionem? Quàm obscura est euidentia; quàm parùm efficaces rationes, quę sapientissimos viros inducere non potuerunt ad cōcludendū pro Abbate Gersene!

ARG. XI.

Ex confessione Rosvveydi.

THomas à Kempis nullis vnquam opusculis suis ex humilitate nomen suum præfixit, inquit Rosweydus Vindic. Kemp. cap. 4. Atqui opusculo de Imitatione Christi nomen suum pręfixit. Ergo non est auctor illius opusculi de Imit. Christi.

℞. Concessâ Maiore, negando Minorem. Probat Caietanus. Qui nomen suum in fine libri apponit, illle

ille nomen suũ præfigit. ℞. distinguendo Maiorem: Qui in fine libri nomen suum apponit, ille nomen suum præfigit, si *præfigere* accipiatur secundũ Dasypodij, Frisij, Calepini, omnium nomenclatorũ, & Lexicographorum veram & veterem interpretationem; negatur Maior. Si verbum *Præfigere* accipiatur secundũ nouam & inauditam interpretationem Caietani, quâ significat idẽ, quod *Apponere*, concedant Maiorem ij, quibus persuaserit, Rosweydum, quando scripsit, Thomam nullis vnquã opusculis suis nomen suum præfixisse, *clarè docere, Kempensem nulli vnquam suorum opusculorum nomen apposuisse: Apposuisse, inquam, ita enim tò Præfixisse, interpretandum venit,* Caietano Respons. Apolog. cap. 7. fol. 59. & in Apparatu ad Gersenẽ fol. 14.

Vrget Caietanus. Siue igitur præfixisset, seu subscripsisset, siue interposuisset, siue quocunq; demum modo nomen adiunxisset suum, in diuersas prouincias sine Auctoris nomine non peruenisset libellus: nemo ignorantiâ nominis eum inscripsisset Gersoni: nullum fuisset argumentum singulari encomio efferendi illius humilitatem, quòd nomen celasset suum. Manifestum igitur, ex sententia Rosweydi, Kempensem nulli suorum opusculorũ nomen suum apposuisse.

℞. Si singulis Opusculorum suorum exemplaribus, quæ in diuersas prouincias peruenerunt, nomen suum seu præfixisset, seu subscripsisset, seu quocunq; modo adiunxisset, tum rectè sequela deduceretur: quoniam verò non nisi vnico exemplari, quod sciamus, nomen suum in calce subscri-

ſcripſit, idémq; manſerit in monte S. Agnetis, donec A. 1577. Ioannes Latomus Antuerpiam attulerit, nihil eorum ſequitur, quæ Caietanus magno molimine congeſſit.

ARG. XII.

ASſeruantur Coloniæ Agrippinæ à Canonicis Regularib⁹ monaſterij SS. Corporis Christi vniuerſa Biblia in quatuor Tomos diſpertita, & manu Thomæ K. conſcripta. In fine primi voluminis hæc habentur verba: *Finitus & completus anno Dn. 1439. in Vigilia S. Iacobi, per manus Fr. Thomæ Kempis, ad laudẽ Dei, in monte S. Agnetis.* Quemadmodum igitur Thomas K. iſthac vſus loquendi formulâ, dici non poteſt auctor Bibliorum ſacrorum, ſed deſcriptor tantùm; ita in autographo ſuo hac eâdem vſus ſubſcribendi formulâ *A Bibl MSS.*

mulâ

mulâ, nempe, *Finitus & completus anno Dn. 1441. per manus Thomæ Kempis in monte S. Agnetis prope Svvollis* : non demonſtratur auctor librorum quatuor de Imitatione Chriſti, ſed deſcriptor & amanuenſis tantùm. ℞. negando paritatem. I. quia in codice Antuerpienſi libri quatuor de Imitatione Chriſti non ſunt ſolitarij, ſed alijs indubitatis Thomæ opuſculis initio præfiguntur: & non in fine librorum de Imitatione Chriſti, ſed in fine totius codicis ſubſcribitur, *Finitus & completus per manus Thoma Kempis &c.* Ergo aduerſarij hoc argumento vel nihil probant, vel nimium probant: nimirum etiam cætera certiſſima & prorſus indubitata Thomæ kempenſis opuſcula, quæ in illo codice cum libris de Imit. Chriſti coniuncta ſunt, non eſſe ipſius vt auctoris, quod nec ipſi

ipsi vnquam dixerunt. Vnde II. si dicant, vti dicunt, cætera opuscula in illo codice connexa, citra controuersiam esse Thomæ Kempensis, vt auctoris, quo vel in speciem probabili argumento ostendent, libros quatuor de Imitat. Christi, qui primo collocantur loco, non esse eiusdem vt auctoris, sed vt Amanuensis & librarij tantùm? III. Quis vnũ aliquem SS. Bibliorum librum, quis Missale, quis nonnulla S. Bernardi Opuscula, quæ manu Thomas exarauit, vidit coniuncta Opusculis ipsius proprijs? Et tametsi forent coniuncta, illorum auctorem nemo dixit esse Thomam Kempensem: igitur fuit descriptor tantùm. At librorũ *de Imitatione Christi* auctorem esse, tot vetusti & sinceri codices, tot grauissimi testes à ducentis annis asseverant: maxima igitur est dispa-

ſparitas. IV. vltrò concedimus, verbis illis *Finitus & completus per manus Thomæ Kempis*, haudquaquā certò & euidenter demonſtrari, Thomam libros quatuor *de Imitatione Chriſti* compoſuiſſe, cùm potuerit illos tantùm, quemadmodum Biblia, Miſſale, Opuſcula S. Bernardi deſcripſiſſe; verùm cùm certò conſtet, reliqua in illo codice Opuſcula eſſe Thomæ à Kempis vt auctoris, cúmque alij Codices ac teſtes penè ſine numero eidem Imitationem Chriſti attribuant, nec non ratio reddatur, cur Ioanni Gerſoni Cancellario falsò adſcriberetur, bene ac prudenter concludimus, illum eſſe verum & legitimum auctorem. V. Damus etiam illud Caietano, verba ſæpius vſurpata à Thoma (*Finitus & completus*) ſymbolum eſſe non Auctoris, ſed amanuenſis, vt ipſe decîdit fol. 61. Apol.

Se-

Sequitur ergo, cùm Thomas nomen ſuum, vt auctoris, nulli ſuorum opuſculorum in fronte præfixerit, teſte Roſweydo; imò etiã nunquam quocunque modo appoſuerit, vt tò *Præfigere* interpretatur Caietanus; illa verba ſymbolum eſſe Thomæ vt amanuenſis, hoc eſt, anno 1441. rurſum libros ſuos *de Imit. Christi* deſcribentis: ſuos, inquam, circa annum 1410. à ſe primò compoſitos, quod vſque & vſque Aduerſarijs occinimus.

ARG. XIII.

Cùm duo à nobis adferantur autographa Thomæ Kempenſis, Louanienſe & Antuerpianum, premit nos diriſſimâ quæſtione Caietanus, vtrum illorum ſit primogenitum? *ab autograph. primog.*

℞. autographum Antuerpianum non eſſe primogenitum, vt quod

quod Anno 1441. ſcriptum ſit, hoc eſt, auctoris Thomæ à Kempis manu iterum deſcriptum: ſed exemplar, quod circa Annũ 1410. ingenio Thomæ compoſitum, eiuſdémq; calligraphi manu exaratum eſt, illud fuiſſe primogenitum, protographum, ac prototypon. Vtrùm id adhuc exiſtat, neſcimus. Vtrùm ſit illud Louanienſe, itidem neſcimus, cùm anno careat, quo fuerit deſcriptum.

Inſtat Caietanus Sommalium, in fine Dedicatoriæ ad Opuſcula Thomæ à Kempis, Edit. Duacens. pro autographo Antuerpienſi ſtare, dum ita ſcribit: *Auctor huius libelli Thomas à Kempis, in fine autographi ſui fatetur, ſe hunc librum ſcripſiſſe anno 1441.* Vbi Caietanus eruditiſſimum hoc gloſſema ponit; *Scripſiſſe, id eſt, compoſuiſſe, nam aliâs argumentum nihil eſſet*, nimirum pro Caietano. Addit, etiam

Roſ-

Roſweydum pag. 321. edit. Duacenſ. Anni 1621. pro Antuerpienſi pronunciare, his verbis: *Auctor teſtatur manu propriâ, ſe hunc librum compoſuiſſe, Anno 1441.* Roſweydus hoc non ſcripſit, Caietane; aliusſubſtituit illam vocem *compoſuiſſe*: nam quî potuit vir tam exquiſiti judicij iſthoc ſcribere, qui cap. 7. Vindiciarum eodem ipſo anno 1621. Antuerpiæ apud Petrum & Ioannem Belleros recuſarum, ita loquitur; *Certum eſt ex Thomæ autographo, vbi annorum notam appoſuit, librum eum ſcriptũ anno 1441. Scripſit tunc quidem hoc exemplar, ſed fortè annis aliquot antè compoſuerat, & aliud exemplar ſcripſerat.* Iam, poſteaquam Antuerpianũ autographum primogeniti deſpoliauit prerogatiuâ, quod ſe noſtro magno dolore perfeciſſe credit; ariete Louanienſe autographum petit, &;

Sicut

Sicut Antuerpianum excludimus, inquit, productis MSS. antiquioribus, VVeingartensi & Mellitensi, ita intercedimus Louaniensi, quòd imperfectum illud & mutilum, quarto vtpote defectum libro, archetypon esse non possit, è quo tot perfecta exemplaria desumpta fuerunt. ℞. an autographum Louaniense primogenitum sit, nos equidem ignorare, cùm nullo sit notatũ anno. Ain' verò Caietane, id primogenitum atque archetypon esse non potuisse, quòd quarto sit defectũ libro? Nobis vel hoc ipsum fidẽ facit, si archetypon reuera non sit, esse certè potuisse: nam circa annum 1410. librum primum, secundum, ac tertium fuisse compositum asserimus, quartum accessisse tum, cùm Thomas initiatus est sacerdotio. Ergo illud non immeritò videtur antiquius, & propter hunc ipsum libri quarti de-

defectum haud indignum primogeniturâ. Adhæc meministin' Caietane, te Antuerpianum autographum ideo abrogasse Thomæ vt auctori, quòd, quemadmodum Biblijs Coloniensibus, ita etiam huic subjecerit illud suum Amanuensis symbolum, *Finitus & completus per manus Fr. Thomæ Kempis?* Accipio telum, quòd in manus mihi ingeris: Ergo quia isthoc Amanuensis symbolum codex Louaniensis non habet; neque Auctoris, quod nimirũ nulli suorum Opusculorũ Thomas à Kempis præfixit, hoc est, vt tu id verbi interpretaris, *apposuit*; sequitur, autographum Louaniense vel ipsissimum esse archetypon, vel saltẽ esse potuisse. Sequitur præterea, quod antea dixi, autographum Antuerpiense non esse primæuum Thomæ vt auctoris, sed aliud, ac fortassis Louaniense;

verùm

verùm esse autographũ eius ipsius Thomæ, vt illo quidẽ anno Amanuensis tantùm; eo, inquam, anno 1441. libellos quatuor à se dudum compositos denuo describentis, ac se hosce libellos, eo anno, suâmet manu descripsisse, illo suo consueto Amanuensis symbolo contestantis.

ARG. XIV.

Ab inscript. librorum.

SCripserat Rosweydus Vindic. Kemp. cap. 17. *Omnes quidem quatuor libri passim de Imitatione Christi inscribuntur. Ego verò dum manuscriptos consulo, ne vnum quidem quatuor librorum ita inscriptum inuenio; sed primum: Incipiunt Admonitiones ad spiritualem vitam vtiles. Secundum: Incipiunt admonitiones ad interna trahentes. Tertiũ: Incipit liber de interna consolatione. Quartum: de Sacramento.* Hîc exclamat Caietanus: *Quis amabo, hunc non deprædicet Vindicem pro Tho-*

Thomæ, qui eum quidem nullâ non industriâ conatur asserere libelli auctorem, at libelli titulo, numero, ordine defecti? quasi tam hebes, confusus, paruæq; compos scientiæ Thomas fuisset, vt, librum cùm scribere vellet, non nisi rudem, indigestámque molem ediderit. Et paulo pòst: *Codex noster Mantuanus, Cauensis, Leo-Allatianus, Mellicensis Sublaco delatus Anno 1418. de Imitat. Christi inscribitur. Et impreßi, quotquot vidi, omnes, antiquißimi, seu Gersonis, seu Kempensis nomine editi, eum de Imitatione Christi inscribunt.*

℞. Si Thomas à Kempis librorum de Imit. Christi fuit exscriptor tantùm, tunc abs te quæro, Caietane, vtrùm eo in exemplari, è quo transcripsit, Thomas inuenerit hanc inscriptionem, *De Imitatione Christi*, vel non inuenerit? Si inuenit, & tamen suppressit, aliósque titulos libris singulis apo-

posuit, factum malũ, & contrà quàm à viro sancto expectes! si autem istud de viro religiosissimo suspicari fas non sit, ergo illam talem inscriptionem non inuenit: ergo, quia nullius alterius auctoris libros istiusmodi titulis affectos legimus, is libros suos hisce proprijs titulis insigniuit: qui quoniam allegantibus erant prolixiores visi, compendio facto, ex libri primi capite primo titulum traxit opum vniuersum, *De Imitatione Christi.* Hanc vulgarem & compendiariã inscriptionẽ quia repræsentant codex Mantuanus, Cauensis, Leo-Allatianus, Mellicensis Sublaco delatus, & omnes, quotquot vidit Caietanus, impressi antiquissimi, ex hoc ipso titulo non primæuo licet discere, codices illos omnes longè posteriores esse Thomâ Kempensi, & ipsius exemplaribus epigraphe

lon.

longiuſculâ prænotatis. Eſt mihi ad manum codex MS. ex Auguſtano Diui Georgij Martyris monaſterio Canonicorũ Regulariũ, venerandæ canitiei, ſed fronte mutilatus ab aliquo Thomæ infenſo: ibi tum in principio, tum in fine libri ſecũdi ac tertij (quartus abeſt) priſci retinentur tituli, quos ex Roſweydo ſuprà recenſuimus.

ARG. XV.

A numero & ord. librorũ.

QVod numerum ſpectat, ait Roſweydus Vindic. cap. 17. *quatuor quidem vulgò feruntur eſſe libri de Imit. Chriſti; ſed eum numerum nulli manuſcripti certò aſſerunt. In nullo autographo ordinalis nota primi, ſecundi, tertij, & quarti præfigitur.* Reponit Caietanus: *Ad numerum quod attinet, vides catalogos & Trithemij, & Norimbergenſis editionis, à Roſvveydo productos, quaternarium fateri. Mantuanus, Ca-*

uensis, Leo-Allatianus, impressi omnes, in quatuor libros dispertiti sunt, primum, secundũ, tertium, quartum.

℟. Si Thomas à Kempis libros de Imit. Christi non composuit, sed exscripsit solummodo, quemadmodum complura D. Bernardi opuscula, quæro num in illo exemplari, quod ei prototypon fuit, repererit ordinatam hanc inscriptionem libri primi, secundi, tertij, quarti: vel non repererit? si reperit, & tamen prætermisit, quàm vecors, ignauus, luridus, & infidus fuit hic Amanuensis! quid magis desideratur in libris, quàm ordo & distinctio? Quòd si hęc de Viro studiosissimo, summáque cum accuratione rerum suarum satagente tibi nõ persuades, crede, ex alterius auctoris codice hoc opusculum non descripsisse, sed suomet Marte composuisse, haud sanè solicitum, an & quot in

in libros dispertiretur. Vero mihi simile videtur, sparsim libellos primò evulgasse, sine cura, quis primus, quis secundus, quis tertius nominaretur: placuisse deniq; vel auctori ipsi, vel collectoribus alijs, vt *Admonitiones ad spiritualem vitam vtiles* omnibus hominibus, primo ponerentur loco: *Admonitiones ad interna trahentes*, quæ maioré requirunt perfectionem, secundo: *De interna consolatione*, quæ non nisi fidos Christi amicos delinit, tertio. Tum, quia SS. Eucharistiæ perceptio frequens ac deuota singulis hominum generibus quàm plurimùm prodest, ea Tractatio est adiuncta, postremúmque obtinuit locum. Vtrùm verò quatuor Libri, Partes, Tractatus, vel quocunque nomine dicerentur, id nimirũ nihil pensi habuit Thomas. Hinc codex MS. peruetustus Monasterij S. Georgij

Augustæ, ille fronte mutilatus ab effronte resectore, diuisus est in partes tres. Codex Reip. Augustanæ, Matthiæ Farinatoris (qui auctor, aut digestor est *Luminis animæ*) manu descriptus; nuper à nescio quo Veritatis Osore in gratiam Thomæ à Kempis, cuius nomen præferebat, excisus, & abactus, partitus est in Tractatus duos. Albertus Luyckenius Cann. Regg. Generalis testatur, se nonnullos vidisse MSS. codices, nullo ordine capitum vel librorum seruato. Autographum Louaniense tres, Antuerpiense quatuor habet libros, absque tamen nota primi, secundi, tertij, quarti: quin is, qui nobis quartus est, ibi tertio reponitur loco. Quid igitur probat Caietanus ex codice suo Mantuano, Cauensi, Leo-Allatiano, Sublacensi Melicam delato, & ex omnibus, quotquot vidit, impres-

sis,

ſis; quàm eam ipſam ob cauſam, quòd librum primum, ſecundum, tertium, quartũ tam penſiculatè adnumerant, & diſtinguunt, eſſe longè poſteriores Thomâ K. quẽ auctorem celebramus; & codicibus noſtris, quos in medium attulimus? Curarum minima pars hæc illi fuit, quam aliorum reliquit induſtriæ, ſuos, vt placeret, vt commodum foret, partiendi libellos. Quis in capita diſtinxit Biblia ſacra? non ſanè Scriptores Canonici, quibus iſtud curæ non fuit; ſed qui commodo ſuo id fecerunt poſteri. Age Caietane, ſi quis modò Biblia in libros, in capita, in Verſus bellè diſtincta, pręferre antiquitate vellet non ita diuiſis, numquid;

I, bibe, dixiſſes, purgantes pectora ſuccos,
Quidquid & in tota naſcitur Anticyra?

Codicum tuorum venuſtatem laudare debeo, vetuſtatem lauda-

re non possum: qui nimiùm compti, iuuenes sunt; senes pertæsum est hui⁹ laboris. Quod ad *Ordinem* attinet, non est maior difficultas, nec alia solutio, quàm priorum: nempe si Thomas à Kempis non nisi librarius & exscriptor fuit librorum *de Imitatione Christi* nuncupatorum, & numero quaternario, & eo ordine collocatorum, quo vult Caietanus; cur oscitantissimus exscriptor in autographo anni 1441. eum, qui nobis est quartus, tertio loco reposuit? Si piæ religiosæque aduersariorum aures audire de sanctissimo viro Thoma K. nō sustinent tam fœda, tam indigna, mutasse librorum tam pretiosorum antiquissimam inscriptionē, cuius etiam meminisse D. Bonauenturam credunt; ad hæc conturbasse librorū quaternorū numerum, atque vbi numerum quidē retinuit, peruertisse (fa-

(factum malum !) saltem eorundem ordinem, quo nulla magis res cõmendat libros; æquo deinceps animo ferant, Thomę libros suos, in quem vellet, ordinem redigere licuisse.

ARG. XVI.

STylus libelli de Imitat. Christi non est similis stylo cæterorum librorum Thomæ à Kempis: ergo hic non est auctor illius libelli. *A dissimili stylo.*

Miror isthoc aduersarios telum stringere: audiamus, quàm ob rem id libelli tributum Thomę dicat Rob. Bellarminus, Gersenis quondam fautor; Ob similitudinem styli: quam ob causam Bern. Rosignolius, qui primus classicũ pro Gersene cecinit; Propter styli ac phraseos formulas. Et tu Caietane sagacissime, *non subodoraris tantùm, sed toto olfactu discernis dissonantiam styli!* Apol. c. 8. pag. 77.

sterijs degunt, vitam vtique monasticam assumpserunt: & quia illorum est approbata in Ecclesia Dei, & antiquissima Religio, omnes, qui istud vitæ institutum sequuntur, omnibus abdicatis sæculo renunciauerunt.

℞. II. Concessâ Maiore, negando minorem, Thomam Kempensem dici non posse Monachũ. Canonicos Regulares ipse Sum̃us Pontifex Innocentius III. *cap. Post translationem. De renunciat.* Monachos appellat. Et Thomas ipse quoties suos Monachorum nomenclaturâ comprehendit? vt videre est in sermonibus ad Nouitios, Parte 1. serm. 1. §.4. Parte 2. serm. 13. §.3. & in appendice eiusdem sermonis. Item serm. 14. §. 6. Par. 3. serm. 20. §. 7. & 14. in quibus omnibus alloquitur solos Canonicos Regulares. Deinde cùm quoddam opusculũ suum inscripsit

psit *Alphabetum monachi*: aliud *Epitaphium* seu *Enchiridion Monachorum*: aliud *Vitam boni monachi*; putásne, suos illum Canonicos Regulares exclusisse, & non potiùs omnes cuiuscunque Ordinis Religiosos intellexisse?

ARG. XIX.

AVctor librorũ de Imit. Christi fuit Abbas, vt videre est in Codice Aronen. & Genuensi. Thomas K. nõ fuit Abbas: non est igitur auctor librorũ de Imit. Christi.

A titulo Abbatis.

19. Negando Maiorem. Codex Aronensis in referendo auctoris nomine (quem ter *Gesen*, semel *Gessen*, semélque *Gersen* dicit) infidissimus, eâdem leuitate creauit Abbatẽ, quâ finxit hominem trinominem. Codex Genuensis; qui est impressus Venetijs anno M. D. I. nescio cuius nugatoris calamo stigmosus, quendam *Ioannem* . . . dispunctum, sine cognomine

mine, sine familia, sine patria. creat Abbatem Vercellensem sine monasterio, sine monachis, sine Ordine. Nihil nos eam infulam reueremur, quæ fulget in capite, quod aliquando extitisse, nec dum satis demonstratum est.

ARG. XX.

AVtographum suum Thomas à Kempis scripsit A. Christi 1441. Ergo non potest dici auctor eorum librorum, quorum exemplaria MSS. longè antiquiora nos proferre possumus, vt Claromontanũ Parisiense, quod, P. Sirmondo judice, ipso Kempensi antiquius est: vt Codicẽ Aronensem, Mantuanum, Cauensem, Leo-Allatianum, *qui omnes præseferunt characteris antiquitatem, Thomæ ætate superiorem. Eos tamen* (ait Caietanus) *cùm non habeant scripturæ consularem notam, omitto.* Nunc producit codicem Sublacensem, ad Monasterium *Ab autograph. Thomæ.*

gumento probauero, Auctorem vixisse cum S. Luca Evangelista, quia lib. 1. c. 19. num. 7. ita scribit: *Beatus seruus (ait Evangelista Lucas) quem, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantẽ*. Audis, *Ait*, non *Aiebat*? Deinde plus euincam, vixisse tempore Christi Domini in orbe terrarum prædicantis, quia his verbis initiũ ducitur libri primi; *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus*: His verbis initium libri secundi; *Regnum Dei intra vos est, dicit Dominus*: His verbis initium libri quarti. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, dicit Dominus*. Imò probauero, auctorem vixisse tempore Dauidis Regis, quem verbo Præsentis temporis inducit loquentem lib. 1. cap. 25. num. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem (ait Propheta) & inhabita terrã*. *AIT*, non *AIEBAT*,

non *DIXIT* Propheta. Ad postremum hoc argumento extorquebitur, auctorem vixisse ipsius beatissimi Iobi ætate, de quo in *Præsenti* loquitur lib. 2. cap. 9. num. 5. *Vnde B. Iob ait: Visitas eum diluculo, & subitò probas illum.* Quam ob rem si argumentum Caietani fidem aliquibus fecit, Thomā auctorem non esse; hoc nostrum certè (imo ipsius) ijsdem faciet fidem, neque Ioannem Gersenem, neque aliquem Benedictinum, neque vllum alium Monachū esse potuisse auctorem huius libelli, sed fortassis vnum è tribus amicis Iob, Eliphaz Themaniten, aut Baldat Suhiten, aut Sophar Naamathiten.

ARG. XVIII.

A nomine monachi.

AVctor libelli de Imit. Christi fuit Monachus: Thomas à Kempis non fuit Monachus, sed Canonicus Regularis: Thomas igitur non est auctor prædicti libelli;

belli. Maiorem probat Caietanus ex lib. 3. c. 56. vbi ille Monachus; *Verè, inquit, vita boni monachi crux est, sed dux Paradisi.* Et lib. eodem cap. 10. *Quid retribuam tibi pro gratia ista? non enim omnibus datum est, vt, omnibus abdicatis, sæculo renuncient, & monasticam vitam assumant.* Confirmat auctoritate Iacobi Sirmondi, cuius ista refert verba Apol. cap. 8. *In textu libelli de Imitatione Christi disertis verbis designatur, auctorem fuisse monachum, non Canonicum Regularem.*

℞. I. Negando maiorem: nam versus ille, quo Caietanus planum fieri putat, auctorem libelli esse Monachum, est ipsissimi Thomæ de Kempis, initiúmq; cantici spiritualis septimi, quod cùm nulli alteri tributum sit auctori, quomodo euincit, auctorem fuisse Monachum, non Canonicum Regularem? Alter ille locus contra

deſcriptum à Thomâ Kempenſi anno 1441. eſſe omnium primum exemplar, & archetypon: quod nemini noſtrûm vnquam in mentem venit. Quare diſtinguitur illud Antecedens: Thomas anno 1441. primitus ſcripſit, compoſuitq; ſuum illud autographum: negatur. Illo anno ſcripſit, quia rurſus deſcripſit librum ſuum, à ſe circiter annum 1410. primò compoſitum: conceditur. Autographum illud, non eſt protographum, ſed ab eadē auctoris manu factum apographum: non prototypon, ſed eiuſdem libri ab eadem manu elaboratum ectypon. Quâ reſponſione datâ, omnes ab Aduerſarijs ꝓducti codices nec hilū nobis obſtant. Pro coronide etiā illud negamꝰ ad monaſteriū Mellicenſe ex ſacro ſpecu delatū fuiſſe codicē à PP. Reformator. A. 1418 *Quis ſanâ mente negabit?* exclamat Ioan.

Ioan. Cellensis. Omnes, qui sanâ mente sunt, tamdiu negabunt, donec codex ille Italicus exhibeatur: tum vt de eo, qui exhibitus est, certis & antiquis tabulis, aut perpetuâ traditione demonstretur, illum numero librum ab illis PP. Reformatoribus illo A. 1418. fuisse allatum. Et si hæc omnia fidelissimè fuerint demonstrata, superest, vt euidenter demonstretur huius libri auctorem esse Ionem Gersen, & eiusdem libri Auctorē esse non potuisse Th. Kemp. nam si is auctor esse potuit, vti potuit esse libri, (nimirum octennio ante à se compositi) non priùs illū dimittemus, quàm euidentissimè sit de iniustâ possessione cōuictus.

Horum magno argumentorum pondere se exclusisse Kempensem à tanta possessione, gloriatur Apologetes: *a.* in quā vt Ioannem Ger-

a. Respons. Apolog. cap. 9. init.

Gersenē mittat, iustū hæredē, his sequentib⁹ argumentis allaborat.

Arg. XXI.

ARonensis Codex in ouina pagina descriptus, & asseruatus in archiuo Aronensis quondā Monasterij Benedictini, nunc Domûs probationis Soc. Iesv, ad hunc modum Auctoris nomen digessit. *Incipiunt capitula primi libri Abbatis Ioannis Gersen.* Non possū non interfari, Constantine Caietane; *Ioannis Gesen* scriptum est, non Ioannis Gersen. Iam, si lubet, perge. *Incipit tabula libri secundi Abbatis Ioannis Gersen.* Iterū aberras, Princeps Restitutor Auctoris librorū IV. de Imit. Christi! *Ioannis Gesen* scriptum est, non Ioannis Gersen. Porrò lege, oculis auribúsq; adsumus. *Incipit tabula tertij libri Abbatis Ioannis Gessen.* En tertiùm! *Ioannis Gesen* scriptum est, non Ioannis Gessen. *Incipiūt capitula quarti libri Ab-*

Ex codice Aronensi.

Abbatis Ioannis Gessen. Nunc quidē bene legis ex flagitioso codice. *Explicit liber quartus & vltimus Abbatis Ioannis Gersen, de Sacramento Altaris*. Rectè omnino: sic scripsit ignorantissimus Scriptor.

℞. Ex codice Aronensi auctor libri primi, secundi, ac tertij quidam est Ioannes Gesen: *Quarti, nescio quis geminato sigmate Gessen*. In fine voluminis quidā adrepsit *erraticus* Gersen. Quid ergo probat tam infidus codex? Quid Gersenē ah! semel tantummodo nominatum juuat tam vecordis calamus librarij? Instat Caietanus: Est tamen codex *in ouina pagina perantiqua, & vetustissima descriptus*: suámq; antiquitatem ostendit, probátq; mihi *Aspectu, Charactere, Membranâ*. ℞. *Aspectus* facilè fallit. Frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur: oratio verò, quam huius librarij *character* exprimit,

sæ-

ſæpiſſime. *Membrana* librum, vt diu duret, juuat: iam diu duraſſe, non conuincit.

ARG. XXII.

Codex Mantuanꝰ peruetuſtus, vt ex ipſa forma & charactere videre eſt, in hæc verba pro nobis eſt: *Incipit liber Ioannis Gerſen primus de contemptu mundi, & de Imit. Chriſti. In fine: Explicit liber quartus Ioannis Gerſen de Sacramento Euchariſtiæ.* *Ex cod. Mantuano.*

℞. quàm ſit vetuſtꝰ ille codex, certò non ſcitur. Forma & character argumentum palmariũ non ſuppeditant. De reliquo nomen *Ioannis Gerſen* vel ſcripſit prima librarij manus, vel altera caſtigatoris poſterior. Si prima, errauit: ſi poſterior, vitiauit. Et iſtud ſcripturæ adulteratæ vitium diſertis verbis obiecit aduerſarijs Simon Werlinus §. 1. nouarum Vindiciarum Kempenſium, cui Caietanus

in Responsione Apologetica, quæ aduersus libellos omnes, qui ad hanc vsq; diem pro Thoma Kempensi editi sunt, Italorum, Gallorum, Belgarum, Germanorũ, vel aliarum quarumcunq; nationum scripta est, nec litterã reposuit. *4. Qui tacet*; Noli dicere, (intercedit nonnemo) *consentire videtur. Is, qui tacet, non fatetur*, ait Regula 44. in 6. Pol, quàm opportunè vellicas aurem; totã recitabo regulam. *Is qui tacet, non fatetur: sed nec vtiq; negare videtur.* Satis probrosum est, quòd Caietanus non neget, à posteriore manu vitiatũ esse codicem Mantuanum, in quo ab antiquario scriptum primitus fuit nomen *Ioannis Gerson*; & exiguâ rasurâ factum esse ex Ioanne *Gerson* Ioannem *Gersen.*

ARG. XXIII.

Ex. cod. Allat. Codex Leo. Allatianus calculo non dubio suffragatur, his ver-

verbis: *Incipit Tractatus Ioannis de Canabacco de Imit. Christi, & de contemptu omniũ vanitatum mundi &c.* Est autem Canabaccum oppidum in agro Vercellensi, vulgò *Cauaglia*, quod à Philiberto Pingonio vocatur *Caballiacũ*. Viuunt adhuc hodie in eo oppidulo Gersenis nostri cõsãguinei posteri, dicti *Garsõ*.

℟. Iste codex pro Gersene minus nihilo facit: nam ipse & Ioannes de Canabacco sunt duo homines diuersi. Deinde non in linea versûs, sed supra eam scriptum est *de Canabacco*: qua manu? primæuâ, vel posteriore? quid si Germani alicuius parùm germanâ? missus enim est è Germania in Italiam. Canabaccum esse oppidũ in agro Vercellensi, quod Pingonio Caballiaccũ, vulgò *Cavaglia* dicitur, negamus. In eo oppido, quod non existit, nunquam extitit, viuere adhuc hodie Gersenis consanguineos,

neos, negamus. Tria igitur in hoc argumento magnis ꝓbationibus indigent; nimirum Ioannem Gersen & Ioannem de Canabacco esse vnum eundémq; hominē, & non duos: Canabaccum, Caballiacum, & Cavagliā esse vnum oppidum, non duo vel tria: Gersenis, qui vixisse creditur circa annum 1220. &, qui hodie viuunt, Garsoniorum esse vnā familiam, non duas.

ARG. XXIV.

Ex cod. Genuensi.

EST hic codex impressus quidē Venetijs anno 1501. & Ioanni Gerson Cancellario Parisiensi adscriptus; at cui *candidus veritatis amator, quicunq; is fuit*, subiecit antiquo planè charactere, & qui non longè post annum 1512. exarari debuit: *Hunc librum non composuit Ioannes Gerson, sed D. Ioannes ..... Abbas Vercellensis, vt habetur vsq; hodie propriâ manu scriptus in eadem Abbatia.*

℞. In

℞. In his libellis se Caietanus Oedipum facit: at caueat sibi, ne Dauus fiat. Ergóne *candidus veritatis amator, quicunq; is fuit* (nobis quidem ignotus, notus fortassis Caietano) *subiecit antiquo planè charactere* (quē recens dextera potuit imitari:) *Hunc librū non composuit Ioannes Gerson, sed D. Ioannes .... Abbas Vercellensis.* Quis ille Ioannes? quod illi est cognomen? *Gersen.* Vnde tibi de hoc cognomento constat? ex codice Mantuano. at is tacitâ tuâ confessione corruptus est: nec non ex Codice Aronensi. qui ipse nescit nominare Auctorem suum. Quis igitur fuit ille D. *Dominus, Doctor, an Diuus* Ioannes? ede cognomen ipsius ex fidis & antiquis tabulis. *Ecce tacent omnes*, Oedipe, *dic aliquid.* Ille D. Ioannes .... fuit Abbas: cedò, cuius Ordinis? Benedictini. Ex quo Codice tibi hoc

 per-

persuades? non ex Aronensi, qui Abbatem vocat sine monasterio, sine Ordine: non ex Mantuano, nec Allatiano, qui nec monachũ, nec Abbatẽ vocant: non ex ipso Genuensi, qui Abbatem Vercellis constituit nullius Abbatiæ: non ex codice Canensi, vt mox videbitur, qui imagunculã monachi Benedictini, Deus scit quâ de causâ ibi positã, repræsentat. Ex qua igitur antiqua & sincera historia discere licet, illum D. Ioannẽ fuisse Abbatem Ordinis Benedictini? Vercellensem S. Stephani? Dauus es, an Oedipus? Dauus. Et amabo te, quando credis candidum illum veritatis Amatorem scripsisse obscurissima verba? *Non longè post annũ 1512. nam eo anno in commendam data Abbatia Vercellensis S. Stephani, mox destructa, & in arcẽ conuersa fuit, vt Bibliotheca ampliùs non extiterit.* Si non longè pòst, igitur se-

sesquiano, abnuis? vno certè pòst. conticescis? Semestri, vno alteróue mense pòst. Tantillum tempus vtique non inficiabere? Quòd si tantillo pòst id exaratum fuit à scriptore tuo testimoniũ, & anno 1512. destructa est Abbatia, conuersáq; in arcẽ, quomodo candidus ille veritatis amator non falsissimè scripsit sexto, altero, vnóue mense post annũ 1512. haberi vsque hodie propriâ manu scriptum librum in eadem Abbatia, puta S. Stephani, quæ anno 1512. iam destructa, & in arcem conuersa fuit? seruari in Bibliotheca, quæ amplius non extiterit? Dauus es, an Oedipus, Constantine? profectè Dauus. Et si liber propriâ Ioannis manu scriptus adhuc seruabatur Vercellis anno 1512. antequam destrueretur Abbatia S. Stephani, quo diuinus ille thesaurus municipis Ioannis deuenit? Edatur, vt

inspiciamus: sed hîc plurimis opus erit alijs testimonijs, vt; istum esse codicem, non alium: esse Ioannis autographum: illum Ioannẽ dici Gersenem: fuisse Monachum Benedictinũ: Abbatem S. Stephani: & post hæc omnia illum, qui suâ manu hunc librum scripsit, eundem composuisse.

ARG. XXV.

Ex cod. Cauens. IN medio primæ litteræ Q. visitur effigies monachi cum scapulari monastico, & tonsura capillari paruula, juxta morem Benedictinorum Italicorũ, & crucẽ manibus amplectentis.

℞. Quid Caietanus velit, vt sequatur, equidẽ bene video; sequi verè, non video. Visitur effigies Monachi Benedictini Itali: quid tum? ergo nomen huic monacho picto est *Ioannis*? cognomentum *Gersen*? patria *Canabaccum*, nunc *Cauaglia*? Ergo fuit Abbas? Vercellensis? S. Stephani? Et si hæc

omnia

omnia subscripta essent, quemadmodum nullo nixus fundamento subscripsit quidam sub imagine illius monachi in æs incisi. *Effigies Ioannis Gersen de Canabacco, Abbatis Benedictini, monasterij Vercellensis S. Stephani*, vnde sequitur; Ergo ille est auctor libelli, in quo est collocata ipsius effigies? Neq; illud dissimulandū ea in epigraphe, effigiem illius monachi sine nomine, cognomine, patria: Abbatis sine titulo, dignitate, monasterio, haberi ex MS. codice supra trecentos annos exarato. Obsecro ex quo illo? non vtiq; alio, quàm Cauensi; cui cùm nota numeralis annorū apposita non sit, quo modo tantā suam probat vetustatē? Aspectu? charactere? chartâ? imagine? Omnia ista nihil efficaciter probant. Porrò quid opus fuit quatuor his codicibus sacros & juratos admouere oculos Notarij pu-

publici? res & ſcripturæ, quas ille vidit, nihil contra nos faciunt. In codice Mantuano bis legit nomen Ioannis Gerſen: non inficiamur. Sed viditne illum codicem eſſe ſincerum, & non corruptum? primâ, an poſteriore ſic ſcriptum manu? ſi primá, non eſſe errorem? ſi poſteriore, non impoſturam? monſtrauimus & nos judicibus ſacris codices Reip. Auguſtanæ exſectos duos: num etiã viderunt, quis exſecuerit? Notarius vidit, quod ſcriptum eſt: quis ſcripſerit, vbi teſtatur? In codice Leo-Allatiano, legit nomẽ *Ioannis de Canabacco*: non negamus. ſed viditne, Ioannem Gerſen, & Ioannem de Canabacco eſſe vnum & eundem hominem? Canabaccum, Caballiacum, & Cauagliam eſſe vnum & eundẽ locum? eum locum eſſe natale ſolum illius Ioannis? illæ duę voces *de Canabacco*, quæ nõ in linea

linea versûs, sed supra eam scriptę sunt, viditne à quo sint scriptæ? quando? cur? num in Germaniâ, vnde missus est codex? vel in Italia, vbi nunc triumphat? In codice Gennensi legit nomen cuiusdã *Ioannis* . . . Abbatis Vercellensis: non negamus. num etiam legit, illum Ioannem esse cognominatum *Gersen*? illum Abbatẽ fuisse Vercellensem S. Stephani? Vidit etiam illud, an scriptum sit non longè post annum 1512. vel intra tempus litis? In codice Cauensi vidit imaginem monachi Benedictini: credimus. at vidit subscriptum nomen monachi, *Ioannis*? cognomen *Gersenis*? patriam *Canabacci*? titulum *Abbatis*? monasterium S. *Stephani* Vercellis? Si horum nihil vidit, vti non vidit, quid igitur opus fuit pedibus publicis ad currendũ? juratis oculis ad videndum? sacris manibus ad

scribendum? Nihil Gerseniano accedit nomini per tam magnificum apparatum: tantundem crederemus, si Caietanus his omnibus supersedisset.

ARG. XXVI.

A lib. impress. Libri ab vno auctore cõscripti sæpe propter affinitatem nominum, vel ignorantiâ editorum, vel typothetarum incuriâ, sub alterius nomine prodierunt. Hoc fatum etiam Ioannẽ Gersen pressit, qui cùm vulgo ignotus esset, Ioannem Gerson, celeberrimum eâ tempestate nomẽ, pro illo supposuerunt, vnius tantùm litterulæ commutatione.

℟. Si cętera argumenta robur haberent, vt, quæ virili pasta sunt cibo, tum veluti sale conspergerentur hâc ingeniosâ coniecturâ, indéq; sciremus, cur Gersen metamorphosin passus sit in Gersonem. At nunc, quia præcedentes

ratio-

rationes singulæ sunt elumbes, & omnes collato pede haud multò stant firmiùs, hæc gralla *Gersenem* labantē non sustentat. Rosweydi, Werlini, cæterorum nostratium verosimilior est opinio, quòd libris de Imit. Christi impressis initio ferè sine auctoris nomine, adjungeretur libellus *Gersonis de meditatione cordis*; ac propterea eiusdem nomen præfixum ab alijs fuisse in fronte totius operis, ne videlicet præstantissimus partus incerto haberetur patre.

ARG. XXVII.

AVctor librorum IV. de Imit. Christi integras loquēdi formulas ac sentētias ex S. Benedicti regula depromit: ergo oppidò manifestum euadit, fuisse monachum Benedictinum.

Ex Reg. S. Bened.

℞. dato Antecedente, negando Consequentiam. Habeat Thomas à Kempis aliquas sentētias affines

sentētijs S. Benedicti; accepit inde, vnde iste, nimirum è diuinis litteris. Deinde acceperit etiam ex regula S. Benedicti, non propterea sequitur fuisse è familia S. Benedicti: quot moderni diuersarum Religionum scriptores allegant regulas S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, aliorum Fundatorum, qui tamen non sunt ex illorum ordine. Imō si quid probat hoc argumenrum, ostendit ipsum S. Benedictum fuisse ex Ordine S. Augustini; vt qui ex istius regula in suam pluscula transcripsit. Vide Simonem Werlinum Part. 1. Rosweydi rediuiui §. 3.

ARG. XXVIII.

Aconglobatis. Q*Vatuor codices*, inquit Caietanus, *Ioannem appellant*. Sic appellant prorsus. *Bini Gersenem*. Bini appellant Gersenem ter. sed & solus Aronensis ter appellat *Gesen*: vnde scis, rectiùs dici *Gersen*, quàm *Gesen*?

Gesen? Leo-Allatianus vocat *Ioannem de Canabacco*, quod illi, te haruspice, natale solum est. At nos auemus scire, Ioannes Gersen, & Ioãnes de Canabacco an sint vnus homo, non duo? num Canabaccũ sit Pingonij Caballiacũ, & vtrumque vulgi Cavaglia? deinde an hæc sit Gersenis, non alterius Ioannis patria? deniq; an illius Gersenis ac modernorum Garzoniorum vna sit familia? Genuensis & Aronensis vocant *Abbatẽ*; & ille quidem *Abbatem Vercellensem* sine Abbatia: & non Ioannẽ Gersen, sed aliquem Ioannem, quem ipse nescit nominare: & vnde tu nosti? cuius autographum abbatis post annum 1512. adhuc seruabatur in Bibliotheca, quæ tum amplius non erat, in abbatia, quę illo anno destructa est, & in arcẽ conuersa. His ita, vt volunt, suppositis, quid sequetur, nisi hæc euidens, certa,

adeóque scientifica conclusio? Ergo *Ioannes* ex quatuor aureis codicibus lectus; *Gersen* in duobus codicibus, altero flagitioso, altero corrupto ac vitiato ter sic nuncupatus; *Abbas* ab Aronensi codice quinquies creatus, sine omnibus ad Abbatem requisitis: à Genuensi *Vercellis* constitutus Abbas nullius ordinis, nullius monasterij, si tamen idem ipsus est, quem Aronensis Abbatem in genere vocat; *de Canabacco* oriundus, si tamē Canabaccum non genuit alium Ioannem, quàm Gersenem; & si antiquum Canabaccum est Cavaglia recens; & si familiæ Gersenum, & Garzonum non plus sanguine quàm litteris differunt; est auctor librorū quatuor de Imit. Christi. Quæres per transennam; cur nihil hîc de codice Cauensi? de illo imaginario? intelligo, quorsū tua vergat oratio,

tio. Consultò prætermiserunt, quòd nec imago sine nomine, nec imaginatio sine ratione, generent scientiam. Quid ergo ad cæteram pompā operosissimæ consequentiæ moliamur, rogas? Vnâ constanti negatione subruimus.

ARG. XXIX.

AVctor libelli tot habet phrases & idiotismos Italicos, vt dicendus sit Italus, non Belga, non Germanus. *ab Ital. phras.*

℞. Quod si Caietano vacauerit omnes idiotismos Italicos è IV. libris de Imit. Christi collectos edere; ego quoq; meos Teutonismos, quos multò plures, quā Rosweydus & Simon Diessensis, collegi, in medium proferam coram iudicibus vtriusq; linguę bene peritis; & videamus, vter plures auferat calculos.

ARG. XXX.

DEniq; Testium nostrorum *Refut. Test.*

ac

ac præcipuè Ioan. Buschij aucto-ritatem his lanceolis incidit, non elicientibus sanguinem, necdum altè vulnerantibus. Scripsisse quidem eo tempore, quo Thomas à Kempis adhuc viuebat, deceptum tamen fuisse, & sparsâ apud suos famâ delusũ. Si is, qui coætaneus, qui vicinus, qui familiaris, qui pænè domesticus fuit, famâ à religiosissimis viris falsò disditâ deceptus est; quid fiet Caietano, qui à Gersene tot sæculis distat? qui testem Ioanni Buschio parem; testem, inquam, Gerseni tempore, loco, familiaritate, tam conjunctũ, quàm noster Thomæ fuit, producere non potest, quod malè plus satis illum habet. Nunc parẽthesim illam (*Qui sequitur me, de Imit. Christi*) infamat: suspectæ sibi eam videri fidei. Prouocauit Rosweydus cap. 6. Vindic. ad exempla MSS. compluria per Belgiũ.

quæ

quę ipsâ auctoris ętate scripta sũt, quorum sinceritatem cur suis, vel suorum oculis non explorauit Caietanus? At contra mentem Thomæ K. inscribere libros de Imitat. Christi. Buschius sermone publico vulgi, & quo nomine notiores fuerunt, sapienter vsus, initium libri decerpsit, & ex capite primo nomen toti opusculo fecit. Breuitatis studium, quâ in citandis libris, & librorum auctoribus apprimè delectamur, non fallacia; vox populi sic olim, vt hodie, librum indigitantis, non ignorata libellorum singulorum diuersa & prolixior epigraphe, ita iussit calamum scribere. Vrget, scripsisse Buschium, *quæ vidit, quæ audiuit, quæ inspiratus est*: num vidit Thomam sic libros inscribentẽ? Non vidit. A quo inspiratus fuit spiritu, vt titulum fingeret, qui non in mentem venit auctori? A nullo.

Num

Num audiuit? Audiuit à coætaneis communiter hosce libros quatuor vno nomine *De Imit. Christi* nuncupantibus; qui, si natiuos, à parente inditos recensuisset titulos singulorum, ne alios videretur vendere libellos, cùm auctoré eorũ proderet, prudentissimè hoc vulgari, & non primæuis titulis vtebatur. Deniq; potuisse inquit Buschium errare, vt alij multi decepti sunt in designandis librorũ veris auctoribus. Potuit, ergo errauit? Potuit hodie pluere, ergo pluit? Hæc talis argumentatio in schola Dialectices à Magistris ridetur, & plectitur. Quidquid alijs factum fuerit, idem Buschio factũ fuisse, quia fieri potuit, temerè asseritur, vsq; dũ demonstretur.

Cæterorum testiũ nostrorum nubem eà Card. Baronij sententiâ dispulisse sibi videtur, qui tomo annali 12. ad annũ Christi 1125. sub

sub finem; *Non numero, inquit, historicorum veritatem Historia consueuimus æstimare, sed quantâ fide polleat primus Auctor cuiuslibet assertionis: nam reliquos primum sequi Auctorem, & eius vestigijs inhærere, frequentiori vsu in more positum videmus.* Addere debuisset Caietanus, quo in casu hæc scripserit Baronius, & de quo: nimirum in grauissimo scelere, impacto à scriptoribus Anglicanis Ioanni Cremensi Presbytero Card. quem qui primus infamauit, sacrilegus fautor fuit coniugij sacerdotum. Hunc secuti cæteri, & si milleni, non maiorẽ merentur fidẽ. Vnde sapientissimus historiarũ Ecclesiasticarum conditor subiecit: *Cùm accuratè auctorẽ expendimus, quantæ fidei esset, qui isthæc primus asseruit, inuenimus eũ plus æquo, immò iniquè fauere sacrorũ ministrorum coniugio.* Idem mendacissimè asseruit, con-

iugia

iugia clericorum in Anglia, ante conciliũ ab Anselmo celebratum, non fuisse prohibita. Hunc talem mendacẽ & infamem scriptorem etsi quàm plurimi sequantur, non numero talium historicorũ æstimandam esse veritatem historiæ, sed quantâ fide polleat auctor cuiuslibet talis assertionis. Vbi verò primus auctor est integræ vitæ, sanæ doctrinæ, veritatis in reliquis studiosus, si plures ipsum ob easdem rationes secuti in eandem rem conspirent, magna auctoritas accedit Veritati historicæ, & procedit ratio S. Augustini lib. 33. contra Faustum cap. 6. quâ dignoscitur, cuius quisque sit liber. Quare cùm Ioannes Buschius, Trithemio teste, fuerit *Vir studiosus in Scripturis Sanctis, moribus honestus, conuersatione deuotus*: cùm fuerit Thomæ Kemp. ætate, loco, cõsuetudine cõiunctissimus: quòd

illum

illum pænè innumeri ſecuti ſint, in hoc deſignando legitimo au-ctore, Thomæ quidem honorifi-centiſſimum, Veritatis verò fir-miſſimū debet videri munimen-tum. O quàm dolet Aduerſarijs noſtris, vbi vident ab ætate Tho-mæ Kempenſis vſq; ad hunc præ-ſentem annum viros ſanctiſſimos, ſapientiſſimos, grauiſſimos pro illo ſtare! quibus nimirum mica ſalis non fuit, vt diſpicerent, *quem lapſantem ducem* (vt tu Caietane, loqueris) *ſequerentur, quo lolio vi-ctitarent, quo in luto hærerent, quâ famâ falſam aucuparentur perſua-ſionem.* Hoc viciſſim nos delectat, tot videre Teſtimoniorum lumi-na in vno Kempenſi illuſtrando collecta: & vos in tenebris veſtris à Gerſenis ætate, ab anno 1220. vſque ad Bernardinum Roſigno-lium, qui ſplendidè deceptus, ex codice Aronenſi nec indigenâ, nec

nec valde antiquo, nec fideli, nomen Ioannis Gessen, seu Gersen (ô fluxam Genuensiū & maritimarū istarum tabularum fidē!) primus in orbem intulit; per trecentos & amplius annos radium nec tenuissimum videre, quo isthoc quidquid est entis *Ioanni-Gersenici*, patriâ *Cannabacco-Cauagliani*, professione *monachi Italo-Benedictini*, dignitate *Abbatis San-Stephano-Vercellensis*, ex vllis indubitatæ fidei monumentis innotescat. Si vos tantam seriem, tam continuam, tam illustrium virorum, tam sincerorū codicum nobis monstraueritis, in tanta luce vestra non erimus talpæ, seu vespertiliones.

FINIS.